46. (Tab. 776, 1). Est *Merulius tremellosus* Schrad., nec Agaricus betulinus (Lenzites betulina Fr.), species ab hac valde aliena (Rostrup).

47. Tab. 785 figuram optimam reddit *Lathyri silvestris* var. *platyphyllae.* Hornemann autem (Oec. Pl. p. 765) haud recte ad L. latifolium L., Europae australioris civem, retulit.

48. (Tab. 791). Senecio denticulatus Müll., ab aliis (Wahlenb., Fries) S. silvatici, ab aliis S. vulgaris L. varietas habetur (S. vulg. β, radiatus Koch), variis autem notis et praecipue habitu peculiari ita ab utroque recedit, ut forsan species autonoma habenda erit. Planta est rarissima, dunis maritimis ut videtur priva, quae praeter locum Mülleri (ad littora arenosa Lollandiae) non nisi in dunis Jyllandiae occid. (Manø, Nolte) lecta est.

49. (Tab. 799). *Potentilla retusa* Müll., lecta in Groenlandia (Balvig) est planta dubia. A plerisque pro P. tridentata Sol. male depicta habetur, sed obstat quod, si figurae fides habenda sit, herbacea (neque suffruticosa) est, et insuper petalis luteis, calyce aequilongis (nec albis, calyce longioribus) recedit. Locus specialis Groenlandiae, ubi lecta est, non indicatur, sed sedulo in Groenlandia posthac quaerenda.

50. Tab. 810 sistit plantam nomine H. cymosi lectam in insula Haaøen pr. Drøbak Norvegiae. Teste cl. C. J. Lindeberg (Blytt, Norg. Fl. 2, p. 637) haec figura ad *Hieracium glomeratum* Froel. spectat, etsi minus bene typum hujus speciei repraesentat.

51. (Tab. 838 et 839). In his tabulis O. F. Müller 2 Roesteliae species depinxit; altera in foliis Sorbi aucupariae parasitica, *R. cornifera* Rebent. (Lycoperdon corniferum Müll.) sistit statum aecidiiferum *Gymnosporangii conici*, in Juniperi communis ramis parasitici, altera, in foliis Crataegi, *R. penicillata* Reb. (Lycoperdon penicillatum Müll. Fl. Dan.) ad *Gymnosporangium clavariaeforme* pertinet.

Tertia species Roesteliae, *R. cancellata* Reb., in Fl. Dan. tab. 704 depicta est nomine Lycoperd. cancellati in foliis Pyri communis parasitica, cui respondet *Gymnosporangium fuscum*, ramos Juniperi Sabinae inhabitans.

52. (Tab. 845). Sagina erecta Poll. appellata, minime est S. erecta L. (Moenchia erecta Fl. Wett.), sed, quantum e figura ad specimen macrum et juvenile facta videre licet, est *S. stricta* Fr. (S. maritima Don.), quae haud raro, ut textus quoque indicat, ad littora maris in Dania occurrit.

53. (Tab. 847). Nisi spiculae analysis addita fuisset, figura diminutiva vix proderet *Elymum arenarium* L. Figura melior hujus graminis conspicui igitur data est in Fl. Dan. tab. 3003.

54. (Tab. 848). Festuca duriuscula dicta est, addita observatione „ob antheras violaceas F. rubram dicere non audeo". Sine dubio autem ad *F. rubram* L. pertinet, etsi spiculae nimis amplae et crassae depictae sunt. In F. rubra antherae, saltem locis apricis, haud raro fusco-violaceae occurrunt. Cum spiculae in figura nostra villosae sint, verosimiliter ad specimen F. rubrae β, *hirsutae* (F. arenaria Osb.) facta est, quae tamen vulgo in littoribus arenosis, nec in pratis, ut textus indicat, occurrere solet.

55. (Tab. 855). Non est Campanula Rapunculus L., sed *C. rotundifolia* var. *stricta* Schum. (Enum. pl. Siaell. sept. 1, p. 70), quae varietas sat memorabilis, ab autore suo l. c. ad ipsam hanc

figuram relata, praeter characteres indicatos insuper staturâ elatâ et floribus parvulis distinguitur atque locis umbrosis, sed haud frequens, occurrit.

56. (Tab. 874). Erigeron droebachensis O. F. Müll. differt ab E. acri foliis ciliatis, ceterum glabris, lineari-lanceolatis, inferioribus vix latioribus, calathiis parvulis, quare autor eundem cum E. canadensi L., ceterum valde alieno, comparavit. Forma sat conspicua est, ab autoribus varie interpretata. Blytt (Norg. Fl. 2, p. 562) varietatis titulo E. acri subjungit, Hartman (Skand. Fl. ed. XI, p. 16) e contrario censet, eum una cum E. elongato Led. (Fl. Dan. Suppl. tab. 23) propriam speciem constituere (E. Mülleri Lund, Christ. Fl.), cui opinioni tamen obstat, quod in genere polymorpho difficile sit, limites constantes statuere. Characteres plerique variant, v. c. tam in E. acri quam in E. Mülleri achenia glabra v. plus minus pilosa invenire licet, neque color pappi nec longitudo relativa florum disci et radii constans est. Formam microcephalam et angustifoliam, E. Droebachiensi analogam, sed foliis hirsutis ad E. acrem potius ducendam in Suecia (Mösseberg pr. Falköping) inveni, melius igitur forsan erit, omnes hujus tribus formas scandinavicas (E. acris, rigidus, Mülleri, elongatus) in unam speciem polymorpham conjungere.

57. (Tab. 901). Haec figura, a Müllero ad specimen in insula Lollandia lectum delineata est et a Vahlio nomine Leontodontis hirti, sed dubitanter et ut ab eodem verosimiliter distinctum designata. Optimo jure quidem Vahl de nomine provisorio dubitavit, planta enim depicta me judice minime est Leontodon, sed forma Hypochoeridis maculatae L., foliis pinnatifidis, ramis foliosis a typo recedens, quam (Haandb. i D. Fl. ed. 3, p. 584) nomine *H. maculata β, Mülleri* proposui. Similis forma postea tam in Sjaellandia (Lund) quam in Jyllandia (Koch) lecta est.

58. (Tab. 906). Est *Tragopogon pratensis* L. *β*, *tortilis* Mey. Chlor. Hanov., forma, vix varietas dicenda, quae passim occurrit cum forma vulgari (foliis planis instructa). Fries (Novit. p. 241) ejusdem variationis mentionem facit cum synonymo T. revoluti Schleich.

59. (Tab. 921 et 924). In hisce tabulis *Hesperis matronalis* L. repraesentatur, utraque nomine H. inodorae designata, haec corollis violaceis, ad Torbæk lecta, illa albiflora, ut in textu indicatur „hinc inde in Sjaellandiae locis siccis occurrens". Utraque forma in hortis haud raro colitur ob flores suaveolentes (quare nomen „inodora" parum convenit), sed in Dania vix spontanea adest.

60. (Tab. 938). Rottboellia incurvata L. (Lepturus Trin.), quo nomine haec tabula inscripta est, planta Europae australis, in Dania non occurrit. Haec figura vero nistit *Lepturum filiformem* Trin. *β, subcurvatam* Lge., quae varietas spicis arcuatis differt a forma typica: *a, stricta*, quae in Fl. Dan. tab. 3005 depicta est.

61. Tab. 945 (Conferva pennatula Vahl) et 947 (C. hirta Vahl) sistunt *Cladophorae* species, Algas parasiticas foventes, quae errore pro ramis ipsius Cladophorae sumptae sunt. (Kold. Rosenvinge).

62. (Tab. 997). Specimen, quod in hac tabula nomine Filaginis germanicae designatur, est *F. apiculata* Sm. (F. lutescens Jord.), quae indumento lutescente (nec cinereo), calathiis in capitulo singulo paucioribus, foliolis periclinii rubro-apiculatis etc. distinguitur a F. germanica (F. canescente Jord.), quae repraesentatur in Fl. Dan. tab. 2787.

63. (Tab. 1029). In textu nomine Epilobii tetragoni L. designatum potius est *E. virgatum* Fr. (E. obscurum pl. autt.) quam species vulgo E. tetragonum dicta (E. adnatum Griseb.). Folia enim speciminis delineati pleraque opposita, basi rotundata, non decurrentia, et alabastra obtusa, quae omnia in E. virgatum bene quadrant. Nomen Linnaeanum E. tetragonum forsan potius ad E. roseum Schreb. spectat, et ideo ut incertum postponendum; E. obscurum Schreb. a plerisque ad plantam h. l. depictam translatum, etiam dubium videtur, quare nomen certissimum E. virgati Fr. adhibui. Eadem planta in Fl. Dan. tab. 2588 depicta est.

64. (Tab. 1044). Hieracium dubium Vahl, ad specimen in Valders Norvegiae lectum delineatum non, ut voluit Hornemann (Nomencl. p. 47) est H. cymosum L. var., sed teste Lindeberg (Blytt Norg. Fl. 2, p. 637) est *H. dubium* L. *a, pubescens*, foliis pallide viridibus, caule et inflorescentia molliter pubescentibus. A proxime affini H. glomerato Froel. distinguitur calathiis majoribus, rhizomate stolonifero; H. praealtum Vill., cujus formae variae huic quoque affines sunt, caule elatiore, calathiis minoribus et periclinii foliolis angustioribus recedit.

65. (Tab. 1045). *Viola mirabilis* L. bene depicta est, sed contra morem solitum flores omnes

petalis instructi sunt, dum vulgo floribus caulinis petala desunt. Talis variatio ab editore in Norvegia lecta est, ut nota ejus expresse docet.

66. (Tab. 1053). Figura *a* folium S. phylicifoliae var. angustifoliae reddit. Reliquae vero figurae hujus tabulae non, ut textus indicat, ad S. phylicifoliam, sed ad *S. nigricantem* Sm. referendae sunt, et quidem hujus var. *crassifoliam* And. (foliis ovalibus, crenatis, crassiusculis) videtur repraesentare. In Fl. D. tab. 2553 altera hujus varietas (tenuifolia And.) depicta est, quae foliis ellipticis acutis, remotius serratis, glabriusculis stipulisque magnis distinguitur.

67. (Tab. 1055). Salix arbuscula appellata et ut talis a beat. Andersson (Blytt, Norg. Fl. II, p. 436) citata vix ad S. arbusculam L. referri potest, quae foliis minoribus, glaucescentibus, magis conspicue serratis et praecipue amentis breviter pedunculatis, capsulis subsessilibus styloque brevi distinguitur. Haec in Fl. D. tab. 2857 depicta est. Nostra vero *S. hastata* var. *angustifolia* esse videtur.

68. (Tab. 1163). Rubus fruticosus appellatur, quae species Linnaei collectiva autem hodie in plures species divellitur, inter quas figura nostra potissimum ad *R. pyramidalem* Kaltenb. referenda est.

69. (Tab. 1210). Stellaria groenlandica Retz., bene in hac tabula depicta petalis emarginatis ad Stellariae genus accedit, sed ob capsulam 3-valvem ad Alsines genus transtulit Fenzl.

70. Tab. 1211 non est Cerastium viscosum L. (C. glomeratum Thuill.) sed evidenter *C. semidecandrum β, viscidum* Fr. Ejusdem speciei specimen juvenile depictum est in Tab. 1212.

71. (Tab. 1214). Rosa cinnamomea L., in Holsatia lectum specimen, ibi verosimiliter non est spontanea, cum R. cinnamomea L. vera nec in Dania, nec in ducatibus statu silvestri occurrat; est autem forma floribus semiplenis, *R. cinnam.* var. *foecundissima* appellata, quae non raro in hortis colitur, indeque passim aufugit.

72. Tab. 1215, nomine Rosae albae L. designata, vix ad R. albam genuinam referri potest, quae aculeis biformibus, foliis glaucis, foliolis simpliciter serratis eglandulosis, hypanthio oblongo a nostra figura differt. R. alba L., quae frequenter, imprimis floribus plenis, in hortis colitur, est alienae originis, nec in Dania spontanea; ad Hofmansgave, ubi lecta indicatur in textu, saltem hodie, teste b. Hofman (Bang) non nisi culta occurrit. Etsi igitur haec figura tam a Schentz (Stud. p. 25) quam a Deseglise (Bull. soc. Belg. vol. 15) ut Rosa alba salutatur, tamen suspicor, eandem potius ad formam albifloram *R. tomentosae* pertinere.

73. (Tab. 1230). Senecio viscosus in textu appellata et ut talis a plerisque citata, haec figura me judice non ad S. viscosum L., sed ad S. silvaticum L. referri debet. Differt enim specimen depictum a S. viscoso calathiis numerosis, 4-plo minoribus, periclinii exterioris foliolis adpressis, interiori multoties brevioribus, ligulis brevioribus. Indicatur porro in textu „frequens in aggeribus locisque glareosis", S. viscosus L. vero in Dania raro, et semper in arenosis maritimis legitur. S. silvaticus L. tamen non semper in silvis, sed passim quoque in aggeribus aliisque locis apricis occurrit, et si comparatur figura nostra cum Fl. Dan. tab. 869 (S. silvaticus) non major differentia adest, quam quae e loci diversa indole explicari possit. Igitur censeo, tab. 869 *S. silvatici* formam *umbrosam*, tab. 1230 ejusdem formam *apricam* sistere.

74. (Tab. 1233). *Epipogon aphyllum* Sw. Figura, praecipue forma et colore labelli parum accurata, ut videtur ad specimen siccum depicta est. Figura ejusdem emendata in Fl. Dan. tab. 1399 exhibetur. Specimen hoc, in insula Møen detectum (Holbøll, Hofman Bang et Olufsen), ubi adhuc adest, primum erat, quod in Dania legebatur, postea aliis locis observatum est. (Cf. ceterum Schiøtz in Bot. Tidsskr. XV. p. 207).

75. (Tab. 1267). Figura haec ad specimen in Holsatia lectum (Vahl) delineata, ad *E. adnatum* Griseb. (E. tetragonum pl. autt., vix L.) certissime referri debet, sed a forma typica floribus minoribus, petalis pallide coeruleo-lilacinis recedit.

76. (Tab. 1269). Arenaria ciliata var. norvegica. Figura prava, habitus, a forma typica, praecipue foliis anguste linearibus, valde alienus.

77. (Tab. 1277). Orchis militaris inscribitur, sed Linnaei O. militaris *α*, e Suecia in Fl. Dan. Suppl. tab. 163 depictus, in Dania haud occurrit, dum figura nostra speciem affinem, sed optime distinctam, *O. purpureum* Huds. (O. fusca Jacq.) sistit, quae in insula Moen optime viget, in

Succia nondum lecta. E Linnaei scriptis (Fl. Suec., iter Oeland. etc.) elucet, plantam Suecicam esse principalem, postea vero sub eodem nomine specifico varietates distinxit Linnaeus, inter quas β et δ ad O. purpureum referendae sunt. Rationes ulteriores hujus nomenclaturae exposui in Act. soc. scient. Dan. 1874, p. 54.

78. (Tab. 1318, 1). Uredo tuberculosa Schum. lege prioritatis cedere debet nomini U. Sonchi Pers., hodie igitur, specie in genus Coleosporii translata, *Coleosporium Sonchi* (Pers.) Leveillé appellandum erit (Rostrup).

79. (Tab. 1319). Accidium Populi, postea Uredo Hornemanni Spr. dicta, nec Aecidium, neque Uredo, sed planta dubiae sedis, forsan ad Pezizeas referenda est (Rostrup).

80. (Tab. 1330). Selinum lineare Schum. ad genus Cnidii translatum est, sed nomen Schumacheri specificum prioritate gaudet, et igitur *C. lineare* (Schum.), syn. C. venosum (Koch) appellandum est. Figura ad specimen luxurians delineata, parum characteristica est, et praecipue folia latiora et involucralia multo longiora quam in typo sunt.

81. (Tab. 1333). Figura, Junci campestris nomine designata, ad specimen juvenile *Luzulae multiflorae* Desv. facta esse videtur. L. campestris (L.) DC., rhizomate repente, caulibus sparsis, glomerulis 2—5 nutantibus, stylo longiore recedens, in Fl. Dan. tab. 2954 depicta est.

82. (Tab. 1341). Nomine falso Cardui acanthoidis haec figura absque omni dubio *Cirsium palustre* (L.) Scop. sistit. Analyses additae parum quidem demonstrant, sed in C. acanthoide L. spinae foliorum multo longiores, calathia majora et magis rotundata, periclinii foliola squarroso-reflexa; habitus denique omnino alienus est.

83. Tab. 1353 cum signatura „Endocarpon sp.?". Videtur specimen sterile Parmeliae conspersae v. P. caperatae, ob defectum apotheciorum aegre determinanda (D. Branth).

84. (Tab. 1368). „Uredo suaveolens" designata, quam ad Pucciniae genus refert cl. Rostrup, igitur *Puccinia suaveolens* (Pers.) Rostr. appellanda. Figura tam Uredines quam spermogonia sistit.

85. Tab. 1382 perfecte reddit figuram *Schedonori serotini* (Benek.) Rostr., qui Bromo aspero plurimorum autorum respondet. S. Benekeni Lge. (Bromus asper Beneken), species optime distincta, a pluribus vero neglecta, in Fl. Dan. tab. 2826 depicta est. Ulterius de hisce 2 speciebus tractavi in Act. soc. scient. Dan. 1873, p. 85.

86. (Tab. 1386). Specimen depictum, in Norvegia (Tronfjeldet) lectum, non ut in textu exstat, est Luzula campestris, sed *L. arcuata * hyperborea* R. Br. (L. confusa Lindeb.).

87. (Tab. 1387). Epilobium nutans Horn. (E. Hornemanni Dietr. et pl. autt.) secundum cl. Haussknecht (Monogr. Epilob. p. 159) erit *E. lactiflorum* Hausskn. forma angustifolia, floribus majoribus quam solito. Species haec nova, in Scandinavia, Islandia et Groenlandia obvia, differt ab E. Hornemanni Rchb. (non alior.) seminibus glabris (nec papillosis) etc., cum autem semina in tabula nostra haud depicta sint, difficile est dijudicare, an specimen depictum non potius ad E. Hornemanni Rchb. pertineat, cui ob folia magis distincte serrata, petala majora lilacina magis quam E. lactifloro affinis videtur. Figura igitur mihi adhuc dubia manet.

88. (Tab. 1404). Non est Carex tomentosa, ut textus indicat, sed *C. globularis* L., ad Elverum Norvegiae lecta (Wormskjold). Vera autem C. tomentosa, quae in Norvegia non occurrit, in Fl. Dan. Suppl. tab. 109 depicta est.

89. (Tab. 1425). Teste cl. Lindberg (Revisio crit. icon. Fl. Dan. p. 26) planta h. l. depicta et nomine Encalyptae affinis designata, non est vera E. affinis Hedw. (E. apophysata N. E. & Hsch.), sed *E. alpina* Sm. (E. affinis Schwägr., non Hedw., E. commutata N. E. et Hsch.).

90. (Tab. 1444). Mira commutatione haec figura optima *Poae pratensis* L., in textu nomen P. trivialis gerit, quare postea in Fl. Dan. tab. 1685 genuina P. trivialis delineata est.

91. Tab. 1449 est *Potamogeton coloratus* Horn., quod nomen jure prioritatis praeferendum est nominibus postea datis (P. plantagineus Ducr., P. Hornemanni Mey.). Specimina in loco natali (Hofmansgave Fioniae) lecta et a beat. Hofman (Bang) communicata exacte cum figura P. plantaginei in Rchb. Ic. fl. Germ. VII, fig. 81—82 conveniunt, quod etiam confirmatur figurâ nostrâ, quae optima esset nisi folia nimis rufa (verosimiliter ad specimen siccum) colorata essent). M. Vahl et Hofman Bang primi plantam loco indicato detexerunt, sed Hornemann nominis autor est.

92. Tab. 1450 non est Potamogeton fluitans, sed manifeste *P. rufescens* Schrad. Tempore, quo haec tabula publicata est (1813) P. rufescens Schraderi nondum descripta fuit (in Cham. adnot. ad Kunth fl. Berol. (1815). Sed alia figura ejusdem plantae exstat in Fl. Dan. tab. 1635, ubi falso P. lucens var. appellatur, quare supponendum est, nomen Schraderi tunc (1819) Hornemanno adhuc fuisse incognitum.

93. (Tab. 1454). Oenanthe pimpinelloides L. nusquam in Dania lecta est, et hoc nomen, in textu indicatum, igitur corrigendum. Figura enim sistit *Oe. Lachenalii* Gmel., quae hinc inde ad littora Daniae occurrit, et ab Oe. pimpinell. L. distinguitur fibris radicalibus aliis filiformibus, aliis apice sensim clavato-incrassatis (nec omnibus filiformibus, apice subito globoso-incrassatis), umbella fructifera convexa, radiis non incrassatis (nec plana, radiis demum incrassatis). In tabula tamen neque fibrae radicales neque umbella fructifera depictae sunt, ita ut characteres distinctivi desiderantur.

94. Tab. 1458, Rosa villosa dicta, haud male *R. mollissimam* Willd. sistit, excepto hypanthio, quod pyriforme nec globosum delineatum est, quare facile crederem, hoc a R. pomifera esse sumtum.

95. (Tab. 1472, 1). Textus indicat Spiloma tumidulum α, Ach., cujus synonyma sunt Coniocarpon cinnabarinum Fr., *Arthonia cinnabarina* Wallr., A. gregaria Weig. Apotheciis autem fuscis, nec cinnabarinis depingitur, et analyses non additae sunt, quare figura dubia et vix determinanda. (Rostrup).

96. (Tab. 1511). *Primula egaliksensis* Wormskj. (Lehm. Monogr. Primul. tab. 7)[1]. Nomen specificum videtur datum a Wormskjold in literis, et ab Hornem. in Fl. Dan. publicatum (1816), postea Hornemann (Krøy. Tidskr. I, p. 116) observat, se prius de differentia specifica dubitavisse usque ad publicationem monographiae Lehmannianae, quae dubia de distinctione plantae Groenlandicae a P. norvegica removerat. Attamen plures autores adhuc de duarum specierum distinctione dubia movent, quare in Consp. fl. Groenl. p. 71 rationes exposui, quare cum Lehm. et Hornem. assentior in separatione nostrae plantae a P. norvegica Retz. (Fl. Dan. tab. 1809, P. integrifolia Fl. Dan. tab. 188, non DC., P. sibirica Jacq.). Haec ultima in Scandinavia et Sibiria occurrit, nostra vero huc usque non nisi in Groenlandia lecta est et quidem haud extra sinum Igaliko, ubi postea pluribus locis observata est.

97. (Tab. 1516). Vaccinium pubescens Wormskj. appellatur in textu, sed figura repraesentat formam pusillam et parvifoliam. in Groenlandiae frequentissimam, cujus folia tamen semper glaberrima inveni, *V. uliginosum * microphyllum* Lge. Consp. fl. Groenl. (V. mucronatum α Wormskj. diar. et observ. mscr.). Forma vero typica V. uliginosi, longe rarior in Groenlandia, a Wormskj. (mscr.) V. mucronatum β, palustre appellata est, quia loca humida praefert, foliis majoribus et interdum puberulis instructum est, quare huic potius quam praecedenti conveniret nomen „pubescens“, quod tamen in manuscriptis Wormskjoldii haud occurrit, ideoque supponendum est, nomen ab Hornemanno errore datum esse figurae, quae non hanc, sed formam glaberrimam et microphyllam repraesentat.

98. (Tab. 1518). Arenaria Gieseckii Horn., quam speciem optime distinctam esse censet Hornemann (Oec. Pl. I, p. 430) vix est nisi forma *Alsines vernae* Bartl. et quidem ea, quae a Wahlenb. (Fl. Lapp. p. 128, tab. 6) *Alsine rubella* dicta est (A. verna var. glacialis (Fzl. in Ledeb. fl. Ross. I, p. 350). Inter hanc et A. propinquam Richards. (Fl. Dan. tab. 2903) exacte media est Arenaria hirta Wormskj. (Fl. Dan. tab. 1646), ita ut hae tres formae seriem continuam speciei polymorphae Alsines vernae efficiant.

99. (Tab. 1524). *Arnica alpina* Murr. (A. angustifolia Vahl) optimum florae arcticae decus, certissime bene distincta est ab A. montana, imprimis — characteribus aliis omissis — pappo albo corollâ breviore (neque sordide lutescente corollae longitudine).

100. (Tab. 1529). Drejer (Revis. crit. Car. bor. p. 16) primus monuit, hanc tabulam, nomine Kobresiae scirpinae Willd. designatam, non rite esse determinatam, sed veram esse Caricem, C. dioecae proxime affinem, spicâ androgynâ, foliis culmo longioribus, perigynio brevius rostrato

[1] Indicatur in textu, plantam lectam esse ad Iiiblik in sinu Egaliko, quae nomina errore orta sunt, et scribandum erit: Itiblik (rectius Itivlik) in sinu Igaliko. quare potius igalikensis quam egaliksensis appellari debet.

etc. bene distinctam, cui itaque nomen a Wormskjoldio (in herbario Hornem.) impositum (*C. gynocrates*) applicavit. Planta rarissime in zona arctica modo obvia: in Groenlandia (ubi C. dioeca vix adest) paucis locis orae occidentalis lecta, in Norvegia valde dubia, in Islandia vix occurrens, nam indicatio Hornemanni (Oec. Pl. I, p. 917), eam ab Hookerio in Islandia esse lectam, confusione cum Elyna spicata (Kobresia scirpina W.) fundata est. Nomen Kobresiae nardinae, postea datum (Hornem. in Kröy. Tidsskr. I, p. 430) servari nequit, quia non ad Kobresiae sed ad Caricis genus pertinet, cujus jam alia species C. nardina (Fries) appellata est.

101. (Tab. 1583), Cakile aegyptiaca in hac tabula appellata, est *C. maritima* var. *integrifolia* Hornem. (Oec. Pl. I, p. 709). Varietas haec, ad littora occidentalia Jyllandiae praecipue obvia, habitu et pluribus characteribus a forma typica recedit, folia enim latiora, crenato-lobata nec pinnatisecta, siliquae articulus inferior saepe abortivus, quo fructus monospermus evadit, ideoque ad C. monospermam Lge. ex Europa australi accedit. Cum autem formae intermediae non desint, et forma siliquae haud constans sit, vix specifice distincta haberi potest.

102. (Tab. 1590). *Carex ustulata* Wahlenb. bene in hac tabula depicta est, sed in textu additur, eandem in Groenlandia a Wormskjold esse lectam, quae indicatio commutatione cum C. misandra, huic affini, orta est. Eadem confusio adest in Horn. oec. Pl., ubi C. fuliginosa (misandra) ex Islandia indicatur, et C. ustulata (ibi C. atrofusca Schk. appellata) tam in Groenlandia quam in Islandia lecta dicitur. In Groenlandia vero C. ustulata nunquam lecta est in Islandia valde dubia est.

103. (Tab. 1626). Figura mala et, analysi quacunque deficiente, aegre determinanda non, ut textus indicat Poa (Glyceria) maritima esse potest. Beat. Nolte monuit, hanc tabulam ad specimen *Catabrosae aquaticae* esse delineatam, et pars inferior huic bene quidem respondet, inflorescentia vero magis paniculae Glyceriae distantis similis est.

104. (Tab. 1644). Tam in textu Fl. Dan. quam a plerisque autoribus planta h. l. depicta Sedum sexangulare L. appellatur. Si vero definitionem S. sexangularis apud Linnaeum respicis (Cod. Linn. p, 445) „folia subovata, erectiuscula ...... flores in singulo ramo cymae raro ultra tres, ... cum S. acri convenit facie, magnitudine, floribus, loco, differt foliis ante florescentiam evidentissime 6-fariam imbricatis et sapore insipido nec acri"[1]), videbis, haec omnia in plantam nostram minime convenire. Etiam synonyma a Linnaeo ad S. sexangularem citata (Sempervivum minus vermiculatum insipidum (Banh. Pin. 284, Sedum minimum luteum non acre J. Bauh. Hist. 3, p. 695) ad plantam S. acri arcte affinem spectant, et praetervidendum non est, Linnaeum S. sexangulare suum cum S. acri, nec cum S. reflexo comparare, sed planta h. l. depicta multo magis huic quam illi affinis est. Sed revera varietas sat distincta S. acris haud raro occurrit, quae cum descriptione Linnaei S. sexang. supra citata bene convenit foliis brevibus et arcte adpressis, quare suspicor, hanc S. sexangulare Linnaei verum repraesentare. Nostra vero, *S. boloniense* Lois. nominanda, si omnino Linnaeo innotuit, potius sub formis S. reflexi v. S. rupestris L. quaerenda, quibus magis affinis est.

105. (Tab. 1655). Inter varias *Artemisiae maritimae* L. formas haec imprimis ad var. *coarctatam* F. Aresch. accedit, quae distinguitur ramis florigeris brevibus, patentibus, fere a basi inde calathia dense spicato- v. capitato-congesta gerentibus. Var. gallica (A. gallica Willd.), quae in Fl. Dan. tab. 2119 depicta est, ramis adpressis, calathiis erectis, var. salina ramis elongatis erectiusculis apice cernuis, calathiis nutantibus distinguendae, etsi habitum a figura nostra satis alienum praebent, tamen formis intermediis inter se conjunctae sunt.

106. (Tab. 1696). Folium in parte tabulae inferiore non ad R. glandulosum Bell., sed ad tab. sequentem (R. Sprengelii) pertinet.

107. (Tab. 1701). Figura dubia, nec sine haesitatione ad *Lamium intermedium* Fr. referenda est; nam aeque bene formam proceriorem L. amplexicaulis quam formam minorem L. intermedii sistere potest, cum ad dubia solvenda figurae analyticae desint.

108. (Tab. 1708). *Taraxacum palustre* DC. Foliola periclinii adpressa demonstrant, recte esse deter-

[1]) S. acre apud nos saepius insipidum quam sapore acri observatur, quare character ex sapore sumtus ad quaestionem dijudicandam parum valet.

minatum, sed scapo erecto, foliorum laciniis late triangularibus, foliis nonnullis integris, dentatis differt ab alia forma in pratis Daniae haud raro, quae in Fl. Dan. tab. 1935 nomine Leontod. obliqui (non Fr.) depicta est. Haec scapo deflexo, foliis angustis, pinnatisectis, segmentis linearibus insignis var. *tenuisecta*, nostra vero, quae forsan cum T. livido W. Kit. identica est, var. *integrifolia* appellari possit.

109. (Tab. 1756). *Leonurus Cardiaca* L. var. Haec varietas, in Lauenburgia lecta, quatenus ex icone judicare licet, parum notabilis est nec nisi foliis glabriusculis, laciniis parum latioribus, corollis pallidioribus a forma vulgari recedens vix digna est, quae nomine particulari ut designetur.

110. (Tab. 1762). Figura mediocris et parum characteristica, ad specimen macrum confecta, ad *Cardaminem intermediam* Horn. recognoscendam vix juvat. Speciei enim typica forma, apud nos minime rara, plerumque multicaulis est, et insuper foliis radicalibus plurimis rosulatis, foliolis sinuato-dentatis, terminali subreniformi et transverse ovali, siliquis erectis etc. a specimine h. l. depicto recedit.

111. (Tab. 1768). Carex fulva haec tabula inscripta, ad plantam e seminibus Norvegicis educatam delineata dicitur. Non autem C. fulvam Good., sed sine omni dubio *C. binervem* Sm. sistere videtur, quae in Norvegia austro-occidentali haud raro occurrit. Figura autem mediocris; melior icon C. binervis data est in Fl. Dan. tab. 2980, dum C. fulva Good. vera in tab. 2435 sistitur.

112. (Tab. 1775, 2). Jungermanniae sphaerocarpae nomen in hac tabula inscriptum est, sed potius *J. polaris* Lindb. (Act. soc. scient. Holm. 23, p. 560) esse videtur ob caulem dense radiculosum, folia remota, haud decurrentia et evidenter immarginata, involucrum longum et clavatum. In rupibus irrigatis Islandiae specimina legit A. Mørch. (S. O. Lindberg, Rev. crit. ic. fl. Dan. p. 36).

113. (Tab. 1784, 1) ex Fries (S. Veg. Scand. p. 363) esset Peziza Crucibulum F., sed haec figura, descriptioni Friesianae valde dissimilis potius *Cyathi sp.* esse videtur (Rostrup).

114. (Tab. 1812). Viola stricta Horn. ad Flaskekroen fl. Haun. et in Lauenburgia (Nolte) lecta in textu indicatur, non autem utrum specimen Hauniense an Nolteanum depictum sit. Figura tamen a V. stagnina Kit. admodum variabili vix specifice distincta mihi videtur, et tunc nomen Kitaibelianum lege prioritatis praeferri debet, ita ut haec forma major *V. stagnina α, stricta* (Horn.) appellari et *β, humilis* alia forma designari debeat, quae aut seorsim aut cum *α*, mixta occurrit, quamque olim (Haandb. D. Fl. ed. 3, p. 397) minus recte pro V. pratensi Koch habui (cf. Bot. Tidsskr. V, p. 310).

115. (Tab. 1814). *Erythraea littoralis* Fr. est species sat polymorpa, apud nos rarius et fere semper in pratis maritimis obvia, dum E. Centaurium L. fere nunquam ad littora maris, sed in campis pratisque siccis satis frequenter occurrit. Nomen igitur bene convenit, neque, ut suadet cl. Wittrock, rejiciendum quia Chironia littoralis Turn. formam ejusdem floribus congestis imprimis respicit. Eadem frequenter E. linarifolia Pers. nominata est, sed observante cl. Wittrock (Bot. not. 1884, p. 112) E. linariaefolia (Lam.) alia est species, quare hoc nomen in hanc nostram applicari posse negat, dum vero nomen antiquius Erythraea vulgaris (Centaurium vulgare Rafn) praefert. Equidem olim (Haandb. D. Fl.), duce Fries (Novit. p. 73) C. vulgare Rafn hujus, C. Erythraea Rafn synonymon E. Centaurii esse supposui. Sed accuratiore examine descriptionis Rafnianae persuasus sum, synonyma Rafnii rectius esse adhibita ab Hornemanno, qui specimina Rafnii sine dubio viderat, cum in textu tabulae nostrae C. Erythraea Rafn synonymon E. littoralis esse statuerit. Rafn enim C. vulgari suo folia *acuta*, corollae tubum elongatum adscribit, C. Erythraea Rafn vero foliis obovatis *obtusis* describitur, et praeterea C. vulgare in pascuis pratisque frequentem dicit, quod bene in E. Centaurium, nec in E. littoralem quadrat, quam non nisi unico loco Bornholmiae vidit. Hisce igitur rationibus commotus nomen certissimum *E. littoralis* Fr. praeferendum esse censeo E. vulgari Wittr., quatenus nomini Rafniano fundatum est.

116. (Tab. 1863). Nomine Tritici littorei Schum. planta junior *Agropyri* cujusdam depicta est, quae valde dubia est. Ob colorem glaucum et folia involuta ad statum haud plane evolutum A. acuti DC. referri potest, etsi paleae longe acuminatae potius ad A. repens (L.) spectant. Ipsum T.

littoreum Schum. (Fl. Siaell. p. 38) est species dubia, ex brevi descriptione tamen suspicari licet, A. acutum autori ante oculos fuisse.

117. (Tab. 1870). *Allium vineale* L. haud bene repraesentatur in hac tabula, quae ad specimen luxurians delineata est. In Fl. Dan. tab. 2227 forma minor ejusdem speciei sistitur[1]). Ab A. Kochii Lge. (Fl. Dan. tab. 2716), specie affini, nostra differt foliis latioribus, colore florum pallide roseo (nec atropurpureo), staminibus longius exsertis etc.

118. (Tab. 1888). *Carex Lyngbyei* Horn., stirps rarissima, non nisi in insulis Faeroensibus lecta est. A Drejero (Revis. crit. Car. bor. Nr. 37) species legitima habetur, a C. cryptocarpa C. A. Mey. (filipendula Drej.) squamis bractealibus longissime aristatis, serrulatis, a C. maritima Müll. colore viridi (nec lutescente) dignoscenda. Cum autem squamae C. cryptocarpae varient acutae v. magis minusve aristatae, suspicor, C. Lyngbyei hujus esse varietatem.

119. (Tab. 1896, 1). Haec figura non est Jungermannia incisa Schrad., ut in tectu indicatur, sed *J. exsecta* Schmid. „ob habitum, folia subcomplicata, haud undulata nec apice bifida, sed acutissime et grossissime serrata (non tamen ut in figura, in margine ventrali)" (S. O. Lindberg, Rev. crit. Fl. D. p. 40).

120. Tab. 1925 non est Festuca loliacea (Huds.) Curt., ut in textu nominatur, sed specimen macrum *F. pratensis* Huds. panicula superne spicaeformi (var. *pseudololiacea* Fr.), qualis haud raro in solo macriore occurrit. Vera F. loliacea Curt. (F. elongata Ehrh., Brachypodium loliaceum Fr.) in Fl. Dan. tab. 2761 depicta est.

121. (Tab. 1934). Haec figura, secundum expositionem Noltei (Novit. fl. Holsat. p. 61) ad Cochleariam danicam ut forma integrifolia relata est. Sed specimen delineatum, in Groenlandia lectum, et a C. danica L. et a C. officinali differt siliculis *areniis!*, a C. danica insuper foliis radicalibus cordato-reniformibus (nec hastatis), integerrimis, petalis majoribus etc. recedit. Ideo in Consp. fl. Groenl. p. 35—36 exposui rationes, quibus adductus sum, plantam in Groenlandia satis vulgarem esse *C. groenlandicam* L., et brevis diagnosis Linnaeana (foliis minimis, carnosis, cordatis v. reniformibus, obtusis, integerrimis v. utrinque dente unico obsoleto notatis) huic opinioni non obstat. Planta nostra non solum in Groenlandia, sed quoque in Islandia et Finmarkia observata est, quod etiam de sua C. groenlandica observat Linnaeus. (Specimina Scandinaviae borealis, nomine C. arcticae Fr. vulgo designata ab hac vix differunt).

122. (Tab. 1935). Non est Leontodon obliquus Fr. (Fl. Hall. p. 125; Taraxacum erythrospermum Andrz., Fl. Dan. tab. 2594) sed *Taraxacum palustre* var. *tenuisecta* (cf. Not. ad Tab. 1708).

123. (Tab. 1942). Haec forma Equiseti arvensis L., in Groenlandia late dispersa, magis frequens quam forma typica et quidem haud raro fructifera lecta est. Omnino cum specimine in E. Friesii herb. norm. VIII, 99 nomine *E. arvensis* var. *alpestris* Wahlenb. distributo convenit, et ad hanc varietatem eam retuli, non obstante quod tam Wahlenberg quam Milde (Monogr. Equiset. p. 222, tab. 1, fig. 3) hanc ut sterilem descripserunt.

124. (Tab. 1986). In herbario horti Hauniensis adest specimen ad littora Cimbriae occidentalis lectum (Nolte), figurae exacte respondens et verosimiliter ejusdem specimen originale. Sed tam figura quam planta ipsa Noltei spicâ erectâ, spiculis approximatis et paleis obtusis facile distinguitur ab Agropyro acuto (DC.) in Fl. Dan. tab. 3004 depicto, in Daniae littoribus arenosis frequente, cujus forma microstachya optime convenit cum Tritico acuto DC., forma megastachya cum A. adfini Dethard. Plantam h. l. delineatam, characteribus supra datis merito separandam *A. obtusiusculum* appellavi (1856), cujus synonymon est A. hebestachyum Fr. (1857). Ubique rara videtur, et forsan recte cl. F. Areschoug suspicatus est, eandem A. juncei et A. acuti esse hybridam progeniem.

125. Tab. 1993 in textu Ranunculus tripartitus DC. appellatur, et eodem nomine a Nolteo (Nov. fl. Holsat. p. 51) descripta est, sed verus R. tripartitus DC., Europae australioris civis nec in Dania hucusque observatus differt floribus minutis, petalis calyci aequilongis (nec duplo majoribus), staminibus 5—10 etc. Prius (Haandb. D. Fl. ed. 3, p. 418) ad Batrachium confusum

[1]) In nota ad Tab. 2227 observatur, tabulam Fl. Dan. 1870 (errore Tab 2170 citatum) sistere A. vineale L. statu adultiore, sed in hac tabula non specimen *adultius*, sed *procerius* sistitur.

Gren. et Godr. eum retuli, sed teste cl. F. Schultz, qui hujus specimina authentica vidit, nostra species ab hoc aliena est, et potius ad *B. Petiveri* Koch (forma minor) referenda est. Ceterum figura nostra, etsi habitum satis bene reddit, tamen in eo peccat, quod folia submersa bipinnatisecta, nec palmatisecta, depicta sunt, et folia tripartita et capillacea vix naturae convenienter disposita sunt.

126. (Tab. 2057). Mentha latifolia Nolte (M. hirsuta var. latifolia Horn.). In nota adjecta Hornemann merito dubium movit, utrum revera species haec fundata sit, an potius varietas M. hirsutae (aquaticae) haberi debeat. Non enim differre videtur a *M. aquatica* var. *verticillata* (M. sativa Fr. ex p.), in qua foliorum latitudo valde variabilis est. Figura sistit formam ♀ staminibus brevibus, stylo exserto, qualis dimorphia sexualis, in Menthis frequenter observata, forsan plures s. d. species explicare potest.

127. (Tab. 2059). Senecio saracenicus L. appellatur in textu planta exacte conveniens cum *S. salicetorum* Gren. et Godr. (Fl. Fr. 2, p. 120), qui differt a S. saracenico Wallr. (Solidago saracenica Fuchs, Senecio Fuchsii Gmel.) rhizomate repente, foliis superioribus sessilibus et semiamplectentibus, omnibus argute serratis, dentibus aequalibus erectis (nec patulis), floribus in calathio 7—8 (neque 4—5). Specimen ad Albim lectum est; in Dania vix vere indigena.

128. (Tab. 2101). *Alchemilla fissa* Schummel. Specimen faeroense, a beat. Forchhammer lectum, h. l. depictum est; postea cl. Rostrup pluribus locis insularum faeroensium eandem legit et (Bot. Tidskr. IV, p. 30) descripsit. Planta silesiaca, ad quam relata est, in Wimm. Fl. v. Schlesien vol. 2 in titulo depicta, non nisi characteribus levioribus recedit a faeroensi (foliis subglabris nec adpresse sericeis, lobis brevioribus et latioribus, panicula magis effusa), ceterum ad unam eandemque speciem referendae sunt, quae, observante cl. Wimmer (l. c. I, p. 143) multo magis A. vulgari quam A. alpinae affinis est. Sed A. conjuncta Bab. (Man. ed. 7, p. 101) in insulis faeroensibus a Trevelyan lecta, quam Nyman (Consp. p. 238) inter synonyma nostrae posuit, certissime cum hac haud conjungi potest. Babingtonii A. conjuncta enim non nisi statura proceriore, foliorum segmentis basi conjunctis et inferioribus deorsum spectantibus differt ab A. alpina, et speciminibus Brittanicis a cl. Bennett missis convictus sum, hanc toto coelo tam a figura Fl. Dan. quam a speciminibus a cl. Rostrup lectis differre. Quare haec nostra foliis usque ad medium fissis (nec basi solum conjunctis), subtus pubescentibus, supra viridibus, segmentis infer. invicem longe distantibus distincta, *A. fissa* Schumm. var. *faeroensis* jure appellari debet.

129. (Tab. 2126). Nomen antiquius hujus speciei est *Encalypta contorta* Hopp. Bot. Taschenb. 1800 (Bryum contortum Wulf. in Jacq. Coll. 2, p. 236), postea E. streptocarpa Hedw. appellata (1801); synonymon alterum est E. grandis Sw. (1800) (S. O. Lindberg l. c.).

130. (Tab. 2141). Nomina in textu commutata sunt, ita ut fig. 1 *Agaricum stercorarium* („in stercore bubulino et in pratis") exhibet; fig. 2 vero est *A. pithyus* Fr. (A. tener Schum.) „in foliis dejectis Pini".

131. (Tab. 2153, 2). Sphaeria coarctata Sch. a Streinz (Nomencl.) ad Diatrypen lanciformem Fr. relata est, quae determinatio valde dubia est. (Rostr.).

132. (Tab. 2160, 2). „Sphaeria foedans Fr. (Sphaeria nitida Schum.) non est Massaria foedans (Fr.) de N[trs]. nec omnino Fungus, sed *Pyrenula nitida* Schrad. esse videtur". (Rostr.).

133. (Tab. 2173). Non est Lychnis triflora R. Br., ut textus indicat, sed L. affinis J. Vahl (*Melandrium involucratum β, affine* Rohrb. in Linnaea 1869, p. 217). Vera L. triflora (Melandrium triflorum J. Vahl), quae in Groenlandia quoque occurrit et in Fl. Dan. tab. 2356 depicta est, differt a nostra calyce fructifero minus inflato, magis dense glanduloso et imprimis seminibus grosse tuberculatis, non marginatis (nec laevibus, anguste marginatis).

134. Tabulae 2194—96 in textu commutatae sunt, ita ut in Tab. 2194 (ut Jungermannia caespiticia descripta) *J. pumila* With., in Tab. 2195 (pro J. compacta) *J. caespiticia* Lindenb., et in Tab. 2196 (pro J. pumila) *Scapania compacta* (Roth.) Lindenb. repraesentatur.

135. (Tab. 2215, 3). Indicatur in textu, plantam h. l. depictam crescere „in foliis Hieracii silvatici", sed folium h. l. depictum est Lampsanae communis, in qua (nec in Hieraciis) haec forma

Aecidii saepe occurrit, quar enomen specificum „Hieracii“ minus aptum videtur, et in *Pucciniam Lampsanae* mutandum est (Rostr.).

136. (Tab. 2216, 2). Fungus valde dubius, a nemine postea observatus (R.).

137. (Tab. 2219). Non est Aecidium, sed maculae forsan morsu insectorum productae (R.).

138. Tab. 2231, Arenaria marina dicta, non est Lepigonum marinum Wahlb., quod radice crassiore, perenni, floribus majoribus, seminibus laevibus, plerumque alato-marginatis distinguitur, et quod in Fl. Dan. tab. 740 depictum est. Haec figura autem ad *Lepigonum salinum* (Presl.) referenda est, et quidem ob semina tuberculata ad specimen var. *neglectae* (L. neglectum Kindb., Lge. Haandb. ed. 3, p. 334) delineata est. Semina autem indistincte variant laevia v. tuberculata, et cum reliqui quoque characteres ad distinguendum inter 2 species (L. lejospermum et L. neglectum) vix sufficiant, in unam (L. medium Fr. etiam includentem) conjunxit cl. Leffler (Oesterr. bot. Zeitschr. 1869), sed nomen ab eo datum, L. (Spergularia) caninum, jure prioritatis L. salino postponendum erit.

139. (Tab. 2233). Non est Rosa inodora Fr., ut in textu dicitur, quae species, R. rubiginosae proxima, in Fl. Dan. tab. 2906 sistitur. Figura nostra evidenter non ad Rubiginosas, sed ad Caninas pertinet, forma foliis glanduligeris, petalis pallidis distinguenda.

140. (Tab. 2238). Melampyrum pratense L., non parum variabile, apud nos formis hisce praecipue ludit: 1, *angustifolium* (M. montanum Johnst.), gracile, saepe hirtulum, foliis lineari-lanceolatis, bracteis integris v. basi breviter dentatis; 2, *integerrimum* Doell, foliis lanceolatis, integerrimis; 3, *latifolium* Bab. (ovatum Spenn.) glabrum, robustius, foliis lanceolato-ovatis, bracteis basi bidentatis v. subintegris; 4, *laciniatum* (M. laciniatum Kosh et Zinger, Bull. Mosc. 1881, p. 3, tab. 3) foliis anguste lanceolatis, bracteis petiolatis, basi subcordata profunde laciniatis, laciniis utrinque 2—4, corolla calyce duplo longiore. Ad hanc formam (4) pertinet figura h. l. depicta, sed dolendum est, non indicatum esse locum, in quo lecta est; haec enim rarior est quam reliquae formae (legi ad Margretelund Jyllandiae), ceterum in Rossia hinc inde occurrit, et nuperrime e Gallia australi specimina accepi a cl. Hervier lecta. — Observandum est, in textu hujus tabulae verba quaedam deesse, et contextus ita restituendus est: „bracteis lanceolatis, superioribus basi utrinque laciniatis, calycibus corolla triplo brevioribus“ etc.

141. *Lathyrus Aphaca* L. (Tab. 2245) inter plantas in flora nostra rarissimas hodie locis, ubi olim lectus est, non adest (Falstria, Kylling; Fionia ed Odense, ipse 1835–36), et in posterum diligenter quaerendus. Idem valet de Aspidio montano Sw. (Tab. 2250), quae species, *Cystopteris montana* Bernh. in loco Daniae unico, ubi observata erat (Knapstrup Sjaellandiae, Hofman Bang) jamdiu frustra quaeritur.

142. (Tab. 2270). In tabulae hujus textu figurae 2 et 3 quoad nomina et descriptionem commutatae sunt, ita ut fig. 2 non Merulium tortilem, sed *Craterellum crispum* sistit, et fig. 3 non Cantharellus undulatus, sed *Merulius tortilis* inscribendus est. Ceterum fungus h. l. Merulii tortilis nomine designatus admodum dubius est, et locus in systemate nondum certus. Ita Streinz ad Leotiam lubricam, Fries olim (Syst. mycol. I, p. 322) eum ad Cantharellos duxit, postea (S. Veg. Scand. 2, p. 329 not.) eundem pro Hygrophoro abortivo sumsit et ad genus ambiguum Phlebophorae Leveillé pertinere suspicatus est. (Rostr.).

143. (Tab. 2274, 1). Non est P. purpurea, sed a Friesio ad P. humosam (= *Crouania humosa* Fck.) relata. (R.).

144. (Tab. 2287). Juncus inundatus Drej. non est genuina species, sed inter J. balticum Willd. et J. filiformem L. ambigua forma, in Jyllandia boreali-occidentali et in Scania observata. Olim J. baltici subspeciem, habitu et characteribus facile recognoscendam eum habui, sed cum semina saepius abortiva inveniantur, suspicari licet, prolem hybridam J. baltici et filiformis esse, in quorum consortio specimina plurima in Jyllandia lecta nuper misit cl. J. K. Jeppesen. Haec suppositio confirmatur observationibus in Scania factis a cl. Lidforss (Bot. not. 1885, p. 185) et posthaec igitur rectius *J. baltico* × *filiformis* Lidforss erit appellanda.

145. (Tab. 2288). *Rumex Helolapathum* Drej. non species propria, sed subspecies notabilis R. Hippolapathi Fr. habenda est, a qua statura humiliore, foliis minoribus, perigonii phyllis interioribus minoribus magisque obtusis praecipue differt.

146. (Tab. 2289). Nomen in textu positum, Arenaria caespitosa postea (in corrigendis fasciculi 39) in Spergulam caespitosam J. Vahl mutatum est. Genuina autem est Sagina, proxime affinis S. nivali Lindbl., cujus figura in Fl. D. tab. 2961 data est. Cl. Nordstedt (Bot. Not. 1880, p. 152) censet, eandem esse formam densam S. nivalis, sed non obstante quod staminum numerus variat, tamen in Groenlandia, ubi utraque species occurrit, modo crescendi et aliis notis ita differunt, ut distinctionem, cujus rationes in Consp. fl. Grønl. exposui, servare non haesitarem.

147. (Tab. 2295). Platypetalum purpurascens R. Br. (Fl. Melv. 1824) ad Brayae genus referri debet, et nomen antiquius *Braya glabella* Richards. (Frankl. voy. 1823) restituendum erit.

148. (Tab. 2296). Turritis mollis Hook. Postquam Turritides hodie vulgo intra genus Arabidis receptae sunt, nomen specificum erit mutandum, cum Arabis mollis Stev. jam antea adsit, quare in Consp. fl. Grønl. nomen nostrae speciei in *Arabis Hookeri* mutatum est.

149. (Tab. 2333, 3). Sphaeria Castaneae Fr. non identica est cum Sph. Cast. Schum. Videtur *Sphaerella maculaeformis* Auersw. in figura hac depicta. (R.).

150. (Tab. 2337, 1). Non est Tubercularia. Vide Rostrup in Act. soc. scient. Haun. 1884. (R.).

151. (Tab. 2343). Poa pendulina J. Vahl appellata non est Poa, sed ad Glyceriae subgenus (Arctophila Rupr.) referenda est. Synonymon autem allatum, Glyceria pendulina Laestad. huc non pertinet; planta enim Lapponica hoc nomine designata, satis superque a Groenlandica differt, quod in observationibus ad Fl. Dan. Suppl. tab. 126, ubi vera Glyceria pendulina Laest. depicta est, probare conatus sum. (Confer praeterea Consp. fl. Grønl. p. 167). Itaque plantam nostram nomine *Arctophilae effusae* designavi.

152. (Tab. 2364). *Corallorhiza ericetorum* Drej., primo in Krøy. Tidskr. 2, p. 429 ad specimina a me in ericetis prope Kjøge lecta descripta, vix speciem autonomam, sed potius varietatem, e statione peculiari forsan ortam C. innatae R. Br. constituit. Hujus in tab. 2363, figura data est, C. virescens Drej. inscripta.

152 a. (Tab. 2368). *Carex pratensis* Drej., species rarissima, in Groenlandia occidentali paucis locis lecta, a Drejero, nominis autore (Rev. crit. car. bor. Nr. 16) uberius descripta est. Extra Groenlandiam non indicatur, nisi forte cum hac identica sit C. adusta Boott, Americae borealis incola, quae tamen ex descriptione nonnullis characteribus differt a nostra. Cum autem hujus specimina authentica non viderim, dijudicare nequeo, an forte C. pratensis varietas v. subspecies C. adustae haberi possit.

153. (Tab. 2370). *Carex haematolepis* Drej. Planta groenlandica, h. l. depicta, genuinam hoc nomine a Drejero descriptam formam sistit. Quae eodem nomine a Blyttio (Norg. Flora, 1. p. 219 sub C. salina) descripta est, haud parum a nostra differt; haec, Norvegiae et Sueciâe occidentalis civis, ab E. Fries (Ind. sem. Ups. 1857) C. kattegatensis appellata, a typo Drejeri differt culmo elatiore, laevi, spicis ♀ longius pedunculatis, squamis ♀ nervo lato viridi excurrente aristatis, et facile speciem distinctam repraesentat. Ceterum tam Blytt (l. c.) quam Almquist (Hartm. Skand. Fl. ed. XI) utramque ad C. salinam Good. ducunt, ita ut haec seriem continuam a C. subspathacea ad C. cryptocarpam Mey. format. Non obstante quod propter formas intermedias distinctio difficilis est, aegre crederem, plantas inter se tam differentes (quibus tunc C. Lyngbyei associari debet, cf. not. ad tab. 1888) unius speciei formas esse.

154. (Tab. 2373). Carex fuliginosa Schkuhr vix cum nostra planta, sed potius cum C. frigida All. ex Alpibus Europae australis conjungi debet. Planta h. l. depicta, Groenlandiae, Lapponiae et Norvegiae civis, variis etsi characteribus a C. fuliginosa Sternb. et Hopp. recedit, huic a variis autoribus subsumta est (C. fuliginosa β, misandra O. F. Lang). Sed ob ambiguitatem nominis C. fuliginosae nomen certum *C. misandrae* R. Br. praeferri debet.

155. (Tab. 2402). *Poa costata* Schum. Characteres, quibus haec planta distingueretur, levioris momenti sunt, et habitus omnino P. pratensis L., quare vix nisi hujus varietas haberi potest, tanto magis quia P. pratensis formis innumeris inter se satis distinctis variat. A. nonnullis cum P. compressa L. conjungitur, quae tamen magis aliena est.

156. (Tab. 2414). Rubus discolor est nomen ambiguum, in varias species applicatum ideoque reji-

ciendum. In hac tabula sistitur *R. villicaulis* Kohl. (R. discolor β, pubescens Lge. Haandb.), species in Dania et terris vicinis haud rara.

157. (Tab. 2423). *Lappa tomentosa* Lam. jam in Fl. Dan. tab. 642 delineata est, ejusque formam typicam tab. nostra in fig. B reddit, fig. A vero ejusdem var. *denudatam* Lge., cujus icon magis completa exstat in Fl. Dan. tab. 2918. Figura principalis nostra varietatem singularem sistit pedunculis valde elongatis, calathiis paucis, depresso-globosis, parce araneosis, quam var. *oligocephalam* appellavi.

158. (Tab. 2425). Planta conspicua h. l. depicta vario modo determinata est. In textu Hieracium prenanthoides Vill. appellatur, sed ab hujus forma typica, qualis in Norvegia et in Europa australi occurrit, valde differt, et si definitioni Friesianae fides habenda est, potius ad „Foliosa" quam ad „Prenanthoidea" referri debet, ob caulem dense foliatum, ligulas glabras (nec ciliatas), achenia atrofusca (nec pallida). Beat. E. Fries olim (Symb. Hier. p. 184, Epicr. p. 125) H. crocato Fr. eam adsociavit, postea in litteris pro H. aurato suo declaravit, et sub hoc nomine in Consp. fl. Grønl. eam enumeravi. Et quidem descriptio H. aurati Fr. (Epicr. p. 124) sat bene cum nostro specimine convenit. E contrario cl. Lindeberg in litt. ad *H. strictum* Fr. retulit, quare inter species criticas adhuc manet. Altera vero species in Groenlandia australi hinc inde obvia, a me in Consp. fl. Grønl. minus recte cum nostra conjuncta, ad H. prenanthoidem ut var. rigorosam (Læst.) ducit cl. Almquist (Vet. Akad. Öfversigt 1884, p. 49).

159. (Tab. 2461). *Aira Wibeliana* Sond. Specimen in hac tabula juvenile et analyses imperfectae, quare Liebmann eandem speciem in Fl. Dan. tab. 2522 iterum pingi curavit.

160. (Tab. 2473). Gnaphalium uliginosum β, glabrum Koch omnino eadem est planta ut *G. nudum* Hoffm. (1791). Hoc nomen longe antiquius retinui, quia et habitu et variis characteribus facile a G. uliginoso discernitur, et etiamsi cum hoc mixtum in locis natalibus crescit, nullas formas transitorias observavi.

161. (Tab. 2488). Hoc loco depicta est *Salix groenlandica* Lundstr. (S. arctica R. Br. et pl.), de cujus differentia a S. arctica Pall. conferri potest Lundstrøm (Nov. Act. Upsal. 1877) et Consp. fl. Grønl. p. 108.

162. (Tab. 2492, 1). Dicranum crispum Hedw. hodie est Dicranella, sed non confundi debet cum specie homonyma ejusdem generis, Bryum crispum Schreb. Cum nomen Schreberianum prioritate gaudet (1771) prae Hedwigiano (1789), fas erit speciem Schreberi Dicranella crispa appellare, et species nostra, cujus synonymon antiquius est Bryum vaginale Dicks. (1793) tunc *Dicranella vaginalis* Lindb. erit appellanda. Vera D. crispa (Schreb.) nomine Dicranellae Schreberi (Hedw.) Schimp. in Fl. Dan. tab. 2810 depicta est (vide Lindb. l. c.).

163. (Tab. 2495, 2). *Tortula ruralis* Hedw. Figura C eliminanda est, cum peristomium false delineatum sit (Lindb. l. c.).

164. (Tab. 2506, 1). *Hypnum scorpioides* L. Folia falso enervia depicta sunt. Synonymon hujus est H. crassum Schum. Enum. fl. Sjæll. secundum specimina in herbario Schumacheri; hoc nomen vero in Fl. Dan. tab. 2441 haud recte ad H. cordifolium relatum est (Lindb. l. c.).

165. (Tab. 2529). Nomine Poae cenisiae in hac tabula sine ullo dubio sistitur *Poa flexuosa* Wahlenb. (1824) cujus aliud nomen (eodem anno publicatum) est P. arctica R. Br. (Fl. Melv.). Plures autores (Koch, Nyman etc.) cum P. cenisia All. conjungunt, sed haec vulgo identica habetur cum P. distichophylla Gaud., quae secundum specimina ex Helvetia et Pyrenaeis (comparata descriptione in Gren. et Godr. Fl. Fr. 3, 544) valde differt a planta Scandinavica et Groenlandica, quare pro hac nomen Wahlenbergii, pro planta Alpium nomen Allionii servandum erit.

166. (Tab. 2559). „Aspidium angulare" ad specimen in insula Christiansø lectum delineatum, est *A. aculeatum* (L.) Sw. (A. angulare Kit.), quod nomen a Linnaeo jam datum servari debet. Praeterea a botanicis Brittanicis nomine A. angularis alia forma designatur, quae in Dania desideratur.

167. (Tab. 2582). Haec tabula Glyceria maritima β, palustris (Fr.) And. signata est, sed cum G. maritima typica aegre conjungi potest. Planta h. l. depicta in Groenlandia haud raro obvia, variis formis ludens, ex descriptione *G. arcticae* Hook. (Fl. Bor. Amer. 2, p. 248) sat bene convenit. Attamen, cum figura in opere Hookeriano citata (tab. 229) ad specimen macrum et

juvenile facta sit, non sine haesitatione in Consp. fl. Gronl. nomen Hookeri in pl. groenlandicam applicavi.

168. (Tab. 2592). Haec planta, observante cl. Kerner et pl. autt., non est P. cinerea Chaix, quae modo in Alpibus et quidem rarissime occurrit, sed *P. arenaria* Borkh. (Fl. Wett. II, p. 248) in Europa media haud rara. Synonymon P. incana Moench huic respondet, dum vero P. incana Lam. est alia species, foliis trifoliatis diversa, quare illud nomen pro nostra adhiberi nequit. In Fl. Dan. tab. 2540 huic affinis *P. verna* L. depicta est. Nonnulli (v. c. Kerner) contendunt, hoc nomen ad P. maculatam Pourr. spectare, et negari non potest, plures characteres et synonyma cum hac convenire, sed tam loca natalia a Linnaeo P. vernae adscripta („in pratis siccioribus et campis frequentissime") quam tempus florendi („floret cum Tulipa et Anemone nemorosa") minime cum P. maculata, sed optime cum P. verna nostra conveniunt. Haec autem sine dubio est species collectiva, 2 species affines includens, ita ut nomen aequo jure in utramque applicari potest, cum autem P. maculata aestate floreat, huic nomen „vernae parum appropriatum videtur. Neque opinioni cl. Kerneri assentior, Linnaeo P. opacam nostram ingnotam fuisse et P. opacam Linnaei esse P. vernam nostram, nam descriptio P. opacae L. „caulibus filiformibus, foliis radicalibus 5—9 foliolis compositis, magis villosis" etc. longe melius P. opacae nostrae quam P. vernae convenit.

169. (Tab. 2594). Taraxacum erythrospermum Andrz. (Bess. Fl. Podol. 1822) est nomen serius datum quam *T. corniculatum* (Kit. sub Leontod., in Schult. Oesterr. Fl. 1814) et huic igitur postponendum. Aliud synonymon est Leontodon obliquus Fr. Nov. fl. Suec. ed. 1, 1814). Et nomen Kitaibelii quoque praeferendum, quia e charactere facile discernendo, appendice enim corniformi squamarum periclinii, sumtum est, dum color acheniorum minime constans, saepe enim fusco-cinereus (nec rufus) est.

170. (Tab. 2597). Haec tabula, Hieracium rigidum inscripta, teste cl. Lindeberg, sistit *H. Friesii* Hartm., quod nomen includit H. gothicum Fr. et H. rigidum Fr. ex p., dum vero H. rigidum Hartm. (H. tridentatum Fr.) in Fl. Dan. tab. 3040 repraesentatur.

171. (Tab. 2607). Polypodium rhaeticum L. secundum Milde (Sporenpfl. p. 22) vix huc pertinet, sed Athyrii Fil. foeminae forma est, h. l. vero depictum est *Athyrium alpestre* (Hopp.) Milde (Polypodium rhaeticum Vill., non L.) ob indusium (si omnino adest) minutum et fugacissimum a nonnullis inter Polypodia, ab aliis (v. c. Milde l. c.) in Athyrii genere quoad habitum simillimo ponitur.

172. (Tab. 2615, 2). Observat cl. Lindberg (l. c.), hanc tabulam male delineatam et coloratam esse, quare non bene *Orthotrichi fastigiati* habitum reddit. Ita v. c. calyptra glaberrima depicta est, quod cum natura non convenit.

173. (Tab. 2621, 1). Figura cura Liebmanni depicta, sed sine descriptione v. specimine originali relicta, in schedula Hypnum sarmentosum appellata, minime cum hoc convenit, et a me, etsi cum dubio, ad H. adunci formam relata est. Cl. Lindberg autem monuit (l. c.), figuram sistere *H. (Harpidium) exannulatum* Br. & Sch., sed analyses ex parte esse erroneas.

174. (Tab. 2642). Avena hybrida Peterm. (A. intermedia Lindgr.) neque hybrida neque species distincta inter A. fatuam et A. sativam media esse videtur, sed non nisi A. fatuae L. varietas paleis glabris (nec fulvo-hispidis), aliis notis vix recedens, quare ***A. fatua β, glabrescens*** Coss. appellanda erit.

175. (Tab. 2643). *Avena elatior f. typica*, sic appellata, etsi rarissime observatur, quia flores spicularum magis quam in forma communi completae sunt, omnes nempe ☿ aristatae, cum in vulgari flos inferior ♂ aristata, superior vero ☿ mutica. Haec forma igitur probat, distinctionem inter Avenam et Arrhenatherum esse artificialem, utpote charactere haud constante fundatam.

176. (Tab. 2657). *Euphrasia parviflora* Fr. var. *imbricata* ex descriptione optime respondet Bartsiae imbricatae Lapeyr. a Pyrenaeis. Forma nostra, in pascuis maritimis hinc inde abundanter crescens, ab E. officinali bene distincta, magis accedit ad E. parvifloram Fr. floribus minutis, indumento canescente etc. et huic igitur titulo varietatis adjunxi.

177. (Tab. 2661). *Hieracium integrifolium* Lge. Optima, quantum video, species, minime cum affinibus H. murorum v. H. vulgato confundenda, quam per c. 20 annos vivam observavi, paucis

modo Jyllandiae locis crescere cognita est, in aliis terris dubia et saltem rarissima. Circa Parisios lecta specimina (J. Vahl) huic proxima sunt, etiam specimen in Norvegia (Vestfjorddalen) a beat. Th. Jensen communicatum valde simile, nuper quoque beat. v. Uechtritz (Schles. Phanerog. 1883, p. 10) plantam in Silesia detectam pro varietate hujus declaravit (H. integrifolium β, alpestre v. Uechtr.).

178. (Tab. 2663). Lappa intermedia Lge. (sub Arctio, 1843). Hoc nomen haud servari potest, cum jam antea sub 2 aliis nominibus descripta est: L. macrosperma Wallr. (Linnaea 1840, p. 639) et L. nemorosa Lej. (sub Arctio, Fl. Belg. 3, p. 129, 1836). Nomine igitur primum dato *L. nemorosa* (Lej.) Körn. erit appellanda, tanto magis quia etiam apud nos semper in silvis occurrit. De synonymia conf. ceterum Körnicke (Schr. phys.-oekon. Gesellsch. z. Königsberg 1864, p. 63, 1867, p. 14) et Lange (Bot. Tidskr. V, p. 292). Quid sit Arctium nemorosum a Babington (Man. ed. 7, p. 197) ab A. intermedio (A. pubens Bab.) specifice distinctum, conjicere nequeo.

179. (Tab. 2664). *Orchis majalis* Rchb. Plerisque est O. latifolia, sed cum Linnaei O. latifolia evidenter species collectiva sit, nomen *Reichenbachii* certum et clarum, icone optimo illustratum, praetuli. Ab O. incarnata L. (Fries) bene distincta, in Dania nonnullis locis abundat, sed in locis plerisque O. incarnatâ multo rarius occurrit.

180. (Tab. 2703). Scirpus bifolius Wallr. habitu et rationibus quibusdam biologicis, non autem characteribus e flore fructuque sumtis differt e S. rufo Huds., quare hujus subspecies potius quam species distincta esse videtur. In Dania paucis modo locis occurrit et ubique rara esse videtur. Semina matura non legi, quare an constans sit, culturâ probare non potui.

181. (Tab. 2705). *Agropyrum strictum* Deth. Plures autores suspicantur, hybridam esse prolem, ex Elymo arenario L. et Agropyro quodam ortam, quae opinio eo confirmatur, quod modo rarissime et praecipue inter parentes suppositos, in Dania et Scania non nisi unico loco, in Germanicae borealis littoribus paucis locis observatum est. Garcke (Deutschl. Fl. ed. 13, p. 459) Agropyrum acutum, Areschoug (Skånes Fl. ed. 2, p. 498) A. junceum parentem existimat, ad cujus quaestionis solutionem tamen experimenta foecundationis artificialis vix facta sunt.

182. (Tab. 2708). *Primula variabilis* Goupil. Ut synonymon antiquius citatur P. brevistyla DC., sed etiamsi in confesso esset, hoc nomine hanc ipsam formam designatam esse, nomen improprium videtur, quia in hac ut in multis Primulae speciebus forma brevi- et longistyla adest. Nomen „variabilis“ e contrario optime convenit, cum haec forma magis quam reliquae Primulae colore et magnitudine corollae etc. variationes innumeras praebeat, de quibus conferri potest Bot. Tidskr. XIV, p. 147.

183. (Tab. 2714). Quare cl. Westerlund (Monogr. Atripl.) nomen Drejeri (*Atriplex longipes*) in A. stipitatum emendavit, nescio. Ceterum vix est species legitima, cum flores stipitatos non in hac sola observare liceat, sed in aliis quoque (A. calotheca et hastata) flores sessiles et pedunculati indistincte occurrant. Suspicor igitur, hanc esse aut formam A. patulae L., aut potius forsan hybridam progeniem hujus et A. calothecae (Rafn).

184. (Tab. 2718). Jam alibi observavi (Bot. Tidskr. X, p. 259) specimen in hac tabula depictam a forma typica Rosae dumetorum foliis magis coriaceis et imprimis hypanthio pulposo differre, et potius esse formam R. coriifoliae Fr. sepalis deciduis distinctam. Formam hanc ambiguam cl. Scheutz (Vet. Akad. handl. 1873, p. 30) nomine R. Langei designavit, sed vix species propria haberi potest, et igitur *R. coriifolia* * *Langei* (Scheutz) potius appellanda.

185. (Tab. 2720). *Rubus Arrhenii* Lge. Ultimis annis haec species pluribus locis Slesvigiae et Germaniae borealis lecta est, et postquam fructus maturos, qui tunc mihi ignoti erant, obtinui, tales in Fl. Dan. tab. 2833 depicti sunt. Observari debet, stamina in figura nimis longa esse picta, bene enim cl. Focke observavit, hanc prae omnibus aliis Ruborum speciebus staminibus brevissimis esse dignoscendam. Petala sordide luteola-albida descripsi; sed haec nota minime constans est, vulgo enim alba, rarius pallide rubella occurrunt.

186. (Tab. 2731). Specimen originale e Groenlandia hujus tabulae *H. atratum* Fr. ab ipso E. Fries determinatum est, sed revera tam arcte cum H. murorum conjuncta sunt specimina Groenlandica, ut facile crederem, formam arcticam H. murorum sistere. E contrario cl. Lindeberg (Hartm. Skand. Fl. ed. XI, p 40) nostram tabulam ad H. nigrescentem Willd. citat, et quoque cl.

Almquist (Vet. Akad. öfv. 1884) plantam Groenlandicam H. nigrescentis nomine designat. H. nigrescens W. vero ad Alpina pertinet, a quibus nostra planta longius distare et multo magis ad Vulgata accedere mihi videtur, quare determinationem Friesii conservavi.

187. (Tab. 2733). Hieracium boreale Fr. nomen antiquius quidem quam *H. commutatum* Becker (1828), sed tam in Herbario normali quam in variis Friesii scriptis cum H. gothico Fr. (H. Friesii Hartm.) commixtum est, et praeterea nomen „boreale“ minus appropriatum videtur, quia haec species Europae mediae civis est, et in Scandinavia boreali desideratur.

188. (Tab. 2752, 2). Nomen antiquissimum Buxbaumiae indusiatae est B. aphylla β, viridis Moug. (1815), quare cl. Lindberg (l. c.) *B. viridem* (Moug.) Lindb. eam appellavit.

189. (Tab. 2767). Primula Tommasinii (non Thomasinii Gren. et Godr.) scribendum erit, cum nomen b. Tommasinio dedicatum sit. Ceterum planta nostra vix est vera P. Tommasinii, quae teste cl. Kerner, cum P. Columnae identica est. A nonnullis hybrida habetur (P. officinali × elatior Muret), et negari non potest, characteribus et habitu inter has esse fere intermediam, sed obstat, quod in insula Bornholm, ubi P. elatior, et circa Hamburgum, ubi P. officinalis deest, pluribus locis reperta est. Ad interim igitur nomen Nolteanum (*P. unicolor*) praetuli. (Conferatur Bot. Tidskr. XIV, p. 152).

190. (Tab. 2788). *Bidens platycephalus* Ørsted a plerisque (v. c. Schweinfurth „über Bidens radiatus“) cum B. radiato Thuill. (B. fastigiata Michalet) conjungitur, sed specimina hujus culta e seminibus Gallicis tamen a nostra pluribus notis differunt (cf. Lange, Haandb. i D. Flora, ed. 3, p. 601), quare nomen Oerstedii servavi.

191. (Tab. 2791). Zannichellia macrostemon J. Gay haec tabula inscripta est. Nomen Z. palustris L. collectivum est, et postquam plures species distinctae sunt, haud servari potest. Distinctio a b. J. Gay facta inter formam staminibus brevibus (brachystemon) et longioribus (macrostemon) secundum observationes a cl. P. Nielsen factas notâ haud constante fundata est, cum species macro — et brachystemones promiscue occurrent, quare idem nomen *Z. marinae* proposuit (Bot. Tidskr. V, p. 204), cujus forma *vulgaris* est haec nostra, antheris 4-locularibus instructa, cum alia forma (intermedia Nielsen) antheris 2-locularibus distinguetur.

192. (Tab. 2793). *Carex paniculata* var. *pallida* non nisi forma C. paniculatae colore foliorum glaucescente, squamis floralibus hyalinis insignis habenda est. Cum C. Boenninghauseniana promiscue crescentem legi ad Sorø, et primo hujus varietatem (C. Boenningh. var. subpaniculata) eam habui, sed fructus bene evoluti adsunt, in C. Boenn. vero, hybrida verosimiliter C. remotae et C. paniculatae, semper fructus abortivi observantur.

193. (Tab. 2802). *Hypnum viride* (Hartm.) Lindb. Confer. S. O. Lindberg Rev. crit. Fl. Dan. p. 98.

194. (Tab. 2811, 2). Lejeunia calcarea Lib. minus bene appellata est species, quae non semper in solo calcareo, sed quoque in muris, ad truncos mortuos etc. occurrit. Sed nomen ejusdem prius datum est Jungermannia hamatifolia β, echinata Hook. (Brit. Jung. Sppl. tab. 3), quare *Lejeunia echinata* (Hook.) Tayl. appellanda erit. (Lindberg l. c.).

195. (Tab. 2831). Juncus diffusus Hoppe exacte medium tenet inter J. effusum L. et J. glaucum L., quibuscum mixtus interdum, etsi parce, occurrit; semina plerumque abortiva producit, et igitur sine omni dubio hybrida censeri debet (J. effuso × glaucus Schnizl.).

196. (Tab. 2832). *Rubus macrothyrsus* Lge., non in Dania, sed hucusque non nisi in Holsatia lectus est; ad Viehburg pr. Kiel, ubi olim copiose eum legi, hodie raro occurrit, sed ad oppidum Bordesholm, ubi quoque olim eum vidi, hoc anno cl. Gelert adhuc satis frequentem legit. Ad tribum R. vestiti Whe. pertinet, sed facile distinguitur a R. vestito (Fl. Dan. tab. 2721) et cum nullo alio Ruborum Florae nostrae confundi potest.

197. (Tab. 2834). Anemone apennina var. pallida. Ita ad interim hanc plantam insignem, primum in Bornholmia a cl. R. Holm lectam, appellavi, sed diu culta et ulterius observata, characteres tam graves praebuit, ut merito species distincta haberi possit, *A. coerulescens* mh. appellanda. A. apennina L. enim differt rhizomate ovali (nec cylindrico) tuberiformi, petiolo foliorum involucralium multo breviore, pedunculo longius piloso, sepalis 10—15 latioribus, ovalibus, obtusis v. retusis, utrinque saturate coeruleis (neque 14—20 linearibus, intus albis, extus pallide coeruleis), et praeterea Europae australis civis est, dum nostra hucusque vix extra Bornholmiam

observata est, ubi, pluribus locis copiose obvia, vere silvestris videtur. Planta Tournefortiana e Cappadocia, quae ut var. albiflora A. apenninae a DC. descripta est, et quam huc pertinere olim suspicatus sum, e rationibus geographicis potius ad A. blandam Schott et Ky. referenda est, quae sepalis 9—14 extus glaberrimis etc. a nostra differt.

198. (Tab. 2835). Oxalis Acetosella L. quoad colorem petalorum maxime variabilis est, et variationes a colore typice albo striis violaceis recedentes varie coloratae nominibus variis designatae sunt (coerulea DC., lilacina Lge., purpurea Hartm.). Nomen Candolleanum prioritate quidem gaudet, sed minus bene convenit, quia color coeruleus vix in vivo occurrit, sed color lilacinus v. magis minusve purpureus siccatione in coeruleum vergit, quare suspicor, nomen a DC. datum specimine sicco esse fundatum.

199. (Tab. 2840). *Hieracium dovrense* Fr. est stirps Hieraciorum more variis formis ludens. In hac tabula 2 specimina picta sunt; alterum e Norvegia (Dovre) foliis radicalibus pluribus persistentibus, caulinis c. 4 formam phyllopodam sistit, alterum e Groenlandia fol. radicalibus florendi tempore emarcidis, caulinis c. 8, superioribus cordato amplexicaulibus (f. aphyllopoda). Posterior ad subspeciem * *groenlandicum* Almq. (l. c. p. 47) referenda est, quae 3 formis ludit, ex quibus f. amitsokensi Almq. (aphyllopodum) nostra videtur respondere.

200. (Tab. 2843). *Carex duriuscula* C. A. Mey. postea pluribus Groenlandiae locis lecta est (Atanekerdluk, Th. Fries, Itivnek (Warming et Holm) et ad haec specimina bene evoluta descriptionem emendatam dedi in Consp. fl. Groenl. p. 134. Tam a C. incurva quam a C. stenophylla bene distincta videtur.

201. (Tab. 2847). Carex aemulans Drej. Hoc nomen specimine unico fundatum Drejer (fl. exc. haun. p. 291) proposuit, qui postea quoque plantam pingi curavit. Examine ulteriore speciminis convictus sum, non esse speciem genuinam, sed formam sat insignem C. paludosae, var. depauperatae Lge. (Fl. D. tab. 2848) maxime affinem.

202. (Tab. 2849). Carex vesicaria L. et C. ampullacea Good. apud nos bene distinctae et parum variabiles, in regione arctica ita variant, ut saepe difficile sit dijudicare, utrum specimen quoddam, ad unum an ad alterum referendum sit. Forma in hac tabula depicta, C. hymenocarpa Drej. dicta, inter utramque ambigua, cum Drejero specifice separanda esset, nisi formae intermediae repugnarent. Igitur ad *C. vesicariam β, alpigenam* referre praetuli (cf. Anderson Cyperac. Scand. p. 18 et Lge. Consp. fl. Groenl. p. 153).

203. (Tab. 2882). Glyceria conferta Fr. Synonymon jure prioritatis praeferendum est *G. Borreri* (Bab. sub Sclerochloa), quae sine dubio eadem est planta (cf. Lge. Consp. fl. Groenl. p. 168).

204. (Tab. 2883). *Glyceria vilfoidea* (And.). Locus in textu citatus „Tesserminut" (rectius Tasermiut scribendum) pro hac specie deleatur; planta enim in sinu Tasermiut ab J. Vahlio lecta, quantum e surculis sterilibus judicare licet, ad G. maritimam β, arenariam potius referri debet. Nostra vero in Groenlandia boreali hinc inde occurrit.

205. (Tab. 2885). Poa trichopoda Lge. Cum beat. E. Boissier jam antea hoc nomen plantae orientali dederit, in Consp. fl. Groenl. nomen mutavi, et *P. filipes* Lge. igitur appellanda erit. L. c. p. 175 exposui, quibus rationibus adductus hanc (P. arctica Buchenau et Focke, D. Nordpol. Exped. p. 55) a P. flexuosa Wahlenb. (P. arctica R. Br.) optime distinctam habeam. In summis Alpibus prope nives perennes Groenlandiae tam orientalis (Copeland & Pansch) quam occidentalis (Kornerup) lecta est, et in insulis Spidsbergensibus, ut videtur, quoque occurrit.

206. (Tab. 2892). *Ribes Schlechtendalii* Lge. A plerisque ad R. rubrum varietatis titulo ducitur (R. rubrum β, pubescens Hartm.), sed habitu nec non characteribus pluribus satis distincta videtur. Folia enim subtus dense puberula, pedicelli et calycis pars inferior dense glanduligeri, flores in racemo suberecto magis minusve rubro adspersi sunt etc. In hortis subinde cultum, variis nominibus designatum vidi, in Suecia pluribus locis, apud nos non nisi in Bornholmia statu silvestri lectum est.

207. (Tab. 2897). Epilobium lineare Mühlenb., teste cl. Haussknecht, est *E. dahuricum* Fisch., nomen prioritatis jure praeferendum. Specimina groenlandica in fig. 1—2 depicta vero ad varietatem *E. palustris* (var. *angusta* Hartm.) referri debent, quare E. dahuricum verum in Groenlandia ulterius erit quaerendum, ubi vix deest, cum et in Scandinavia et in America boreali adsit.

208. (Tab. 2899). *Epilobium hirsutum β, micranthum* Lge. Cl. Haussknecht (Monogr. Epilob.) suspicatur, hanc esse formam hybridam ex E. hirsuto et E. parvifloro Schreb. ortam (E. hirsuto × parviflorum Hsskn.), quod tamen minus probabile mihi videtur. Nuper eandem formam novo loco inveni (Flensborg Kobbermolleskov), et evidenter non hybriditatis speciem praebuit, sed potius varietas petalis minoribus quam in E. hirsuto typico instructa et magis insuper albo-villosa mihi videbatur nihil cum E. parvifloro commune habere. Magnitudo petalorum in aliis Epilobii speciebus quoque variabilis observari potest.

209. (Tab. 2900). Epilobium purpureum Fr. Optimo jure sane cl. Haussknecht (l. c.) monet, hanc non esse speciem legitimam, sed hybridam ex E. montano et E. hirsuto ortam, quae igitur *E. hirsuto × montanum* Hsskn. appellari debet. Rarissime lectum est et ubique paucis modo speciminibus repraesentatum, praeterea petala saepe monstrose deformata sunt et semina plerumque abortiva.

210. (Tab. 2903). Alsine propinqua Richards. Inter formas A. vernae Bartl., speciei valde polymorphae, inscribenda, nec species propria habenda est (cf. obs. 98 ad Fl. Dan. tabb. 1518 et 1646). Characteres enim vagi, ita v. c. specimina ex Islandia glabra, Groenlandica vero dense glanduligera sunt.

211. (Tab. 2905). *Rubus slesvicensis* Lge. (R. rugosus G. Jensen mscr., non alior.). Forma e tribu R. corylifolii optime distincta et facile species propria pluribus locis Slesvigiae occurrit, primo a cl. G. Jensen detecta, qui R. rugosum appellavit, quod nomen autem non conservari potest, cum speciei asiaticae jam additum sit. Praeter plures characteres in textu indicatos calycibus dense aculeolatis distinguitur.

212. (Tab. 2908). *Geum pallidum* C. A. Mey. a pluribus G. rivalis L. varietas habetur; attamen pluribus notis et habitu alieno facile distinguenda et forsan specifice distincta est. Saltem cum G. intermedio (Fl. Dan. tab. 1874) confundi non potest.

213. (Tab. 2913). *Hieracium Pilosella* L. var. *intricata* Lge. Varietas conspicua, in Silesia quoque observata est (cf. v. Uechtritz, Schl. Phanerog. 1878, p. 3).

214. (Tab. 2914). *Hieracium Blyttianum* Fr. Specimina in fig. 2 et 3 depicta in Norvegia lecta sunt, et tam Fries quam Lindeberg (Blytt, Norg. Fl. 2, p. 632) genuinam speciem habent. Sed specimina valde similia ad Skaarup Fioniae lecta et eodem nomine a cl. Rostrup communicata, fig. 1 depicta, nec non omnino conformia in graminosis ad Frederiksberg (Landbohojskolen) a me ipso lecta utroque loco sociis H. Pilosella et H. pratensi occurrunt, quare suspicio orta est, haec omnia esse hybridae originis, et igitur ad interim nomine H. Pilosella × pratensis designavi. An H. pratense × Pilosella Wimm. (Garcke, D. Fl. ed. 13, p. 255) cum hac conveniat, ob defectum speciminum dijudicare nequeo; ex descriptione l. c. corollae hujus concolores (sulfureae), in nostro autem subtus rubrae sunt. H. Blyttianum norvegicum vero ex iisdem parentibus ortum esse nequit, cum H. pratense non nisi unico loco Norvegiae lectum sit.

215. (Tab. 2920). *Salix sarmentacea* var. *rotundifolia* And. Specimina islandica a cl. Lundgren prope Myvatn lecta bene cum descriptione Anderssoniana (DC. Prodr. XVI, 2, p. 299) conveniunt. Sed ipse Andersson (Blytt, Norg. Fl. 2, p. 480) S. sarmentaceam prolem hybridam S. herbaceae et S. hastatae habuit (S. hastato × herbacea), quae suppositio tamen pro planta islandica vix fundata esse potest, cum S. hastata in Islandia hucusque non observata sit (cf. Vid. Selsk. Overs. 1877, p. 86).

216. (Tab. 2924). *Equisetum arvense β, decumbens* Mey. Forma satis distincta per plures annos fructifera in arenosis ad Bringe Sjaellandiae a cl. H. Mortensen lecta bene cum descriptione accurata Mildei (monogr. Equiset. p. 221) convenit, nisi quod inter formas steriles descripta est, cum status fructifer Mildeo incognita fuerit.

217. (Tab. 2942, 2). *Calamagrostis stricta* var. *borealis* Laestad. habitu magis quam characteribus a forma typica recedens, in omni zona boreali (Groenlandia, Islandia, Finmarkia et Lapponia) passim occurrit. — *C hyperborea* Lge., in eadem tab. fig. 1 depicta, inter C. lapponicam et C. strictam medium tenet, variis tamen characteribus distincta est.

218. (Tab. 2944). *Aira caespitosa* var. *brevifolia* Hartm., mihi ex descriptione sola cognita, cum nostra figura identica esse videtur, et teste cl. Kjellman (Sibir. Nordk. fanerog. p. 274), A. caespit.

var. brevifolia Trautv. eadem est planta. Videtur rara, sed per regionem arcticam aequaliter dispersa, ad Norvegiam et insulas faeroeenses usque progrediens. A reliquis A. caespitosae formis autem ita differt, ut facile specifice distinguatur, et tunc nomine primario A. brevifolia R. Br. appellaretur, si, ut plerique censent, species Browniana huc quoque pertinet.

219. (Tab. 2970). *Platanthera hyperborea* (L.) f. *major* ad specimina in Groenlandia lecta delineata est, dum omnia, quae ex Islandia vidi, ad formam *minorem* pertinent, quae in Fl. Dan. tab. 333 (male) depicta est (cf. obs. 21). Cl. Berlin (Vet. Akad. Öfvers. 1884, p. 66) observat, hanc formam minorem quoque in Groenlandia hinc inde occurrere et formis intermediis sensim in f. majorem transire, quo ulterius confirmantur quae de distinctione male fundata 2 specierum (Orchis Koenigii Retz. et O. hyperborea L.) attuli (Act. soc. sc. Haun. 1880, p. 122).

220. (Tab. 2975). *Carex Drejeriana* Lge., habitu et characteribus a C. hyperborea Drej. recedens, non nisi unico loco Groenlandiae australis lecta est (Vahl). Attamen figuram ejusdem cura Drejeri depictam publicare utile duxi, ut ulterius inquiratur.

221. (Tab. 2978). *Carex reducta* Drej. Minus accurate Drejer (Rev. crit. Car. bor. p. 36) hanc prope C. vulgarem Fr. collocavit; evidenter enim ad tribum C. salinae pertinet, inter cujus formas polymorphas tam arcte ad C. subspathaceam Wormsk. accedit, ut vix specifice separari debeat. Cum autem opinio Drejeriana dubia moverit, utile habui, figuram ad specimina originalia sistere, ut dubia removeantur.

222. (Tab. 2981—82). *Salix glauca* L., in Groenlandia et Islandia frequentissima, variis formis ludit, et suspicor, plures ex his terris ut proprias species variis nominibus designatas Salices ad hujus formas pertinere. Varietates h. l. depictae (var. *ovalifolia* et *angustifolia*) inter se ita differunt, ut omissis formis intermediis facile species distinctae haberi possent.

223. (Tab. 3008—9). Formae 2 *Plantaginis lanceolatae* tam inter se quam a speciei typo divergentes in his tabulis repraesentantur. Altera (var. *depressa* Rostr.) in insulis faeroeensibus lecta, glabra, foliis latis, scapis crassis, profunde sulcatis, decumbentibus, altera (v. *eriophylla* Dcne.) ad littora Bornholmiae et alibi obvia, foliis angustioribus, dense lanatis, scapis gracilibus distincta.

224. (Tab. 3019). *Oxycoccus palustris* Pers. jam Fl. Dan. tab. 80 depictus est, in hac tabula vero sistitur var. *microcarpa* (Turcz.) fig. 1—4, nonnullis locis Daniae observata, et var. *major* Lge. pr. Christianiam a Prof. A. Blytt lecta.

225. (Tab. 3020—21). Varietates 2 *Potentillae anserinae* h. l. depictae ita inter se distant, ut vix crederes, eas ad eandem speciem pertinere, sed formae intermediae non desunt. Var. *tenella* Lge. in dunis insularum cimbricarum, var. *grandis* Lehm. in Groenlandia lecta est.

226. (Tab. 3027). *Rubus exilis* Lge. ad int. vix est species genuina, sed forma diminutiva R. Radulae Whe., cujus var. microphylla Lindeb. exacte medium inter formam nostram et speciei typum tenet. Forma microphylla in insula Bornholmia lecta est (Fridr. et Gelert Rubi exsicc. Nr. 19), forma nostra praeter locum primarium quoque in insula Brandso observata est (Lind)!

227. (Tab. 3045). *Artemisia Stelleriana* Bess. Species haec notabilis, Sibiriae incola, ad Scaniae occidentalis littora detecta, rationibus geographicis vix ibi vere indigena videtur, sed probabiliter aliunde adverta.

228. Planta in Fl. Dan. tab. 811 nomine Serapiadis latifoliae depicta, non est haec, sed E. viridifloram Irm. potius sistit, quare h. l. *Epipactis latifolia* vera exhibetur.

229. (Tab. 3050—51). Varietates 2 *Caricis piluliferae* L. h. l. depictae sunt, quarum altera v. *longebracteata* Lge. (1864), ut videtur cum v. Leesii Ridley (1881) identica, in Daniae humidis v. umbrosis hinc inde occurrit, altera: var. *deflexa* (Horn.) in Groenlandia speciem sola repraesentat.

230. (Tab. 3053). Plantam h. l. depictam, variis locis Groenlandiae obviam, sine haesitatione ad *S. Myrsinitidis* var. *parvifoliam* And. retuli, cum non solum formas intermedias inter hanc et speciei typum e Norvegia viderim, sed etiam formae analogae parvifoliae S. glaucae, S. groenlandicae etc. in ipsa Groenlandia occurrunt. Sed S. ivigtutiana Lundstr. (Berl. kärlv. p. 61 et 88) nuper descripta, secundum specimen quod vidi, ad Ivigtut lectum, omnino cum nostra convenit, nec, ut suspicatur cl. Lundstrom, ad S. groenland. var. pusillam referri debet. Potius crederem,

S. phlebophyllam And. (DC. Prodr. XVI, 2, p. 290) cum forma nostra esse identicam. Haec enim, Americae borealis incola, ex descriptione prorsus convenit, nisi quod folia integerrima (nec ut in nostra serrulata) descripta sunt. Cl. Lundstrom autem observat l. c., folia S. ivigtutianae suae variare integerrima et serrulata, quare hic character forsan haud constans est.

231. (Suppl. tab. 39). Haec figura, Salix pyrenaica norvegica inscripta, cum S. pyrenaica L. conjungi nequit, est vero *S. norvegica* And., cujus 2 varietates descripsit Andersson (in Blytt Norg. Fl. 2, p. 476), altera: S. alpestris And. (ad quam nostra pertinet) teste And. l. c. est hybrida ex S. herbacea et S. glauca; altera: S. Sommerfeltii And. a S. Myrsinitide et S. herbacea hybrida habetur.

232. (Suppl. tab. 84). *Globularia vulgaris* 'L. Plerique autores aliam speciem pro G. vulgari Linnaeana declararunt, haec, in Europa australi haud infrequens, G. Willkommi Nym. dicta est. Nostra vero, in Hispania passim obvia et dein — spatio largo interjecto — in insulis Oelandia et Gottlandia occurrens, certe G. vulgaris Linnaei primaria est, etsi Linnaeus plura synonyma ad G. Willkommi spectantia attulit, quare nomen Linnaeanum collectivum esse videtur. Cum Linnaeus primo plantam suam ex Oelandia descripserit, merito *α* oelandica appellari potest, synonyma hujus est G. vulgaris *β*, major Willk. (Monogr. Globul.).

233. (Suppl. tab. 94). Hieracium (plumbeum) bienne Blytt est planta perennis, nec biennis, quare nomen in *H. Moëanum* Lindeb. mutatum est (cf. Blytt l. c. 2, p. 656). Rarissima species, paucis modo locis Norvegiae lecta, foliis glaberrimis valdeque glaucis insignis.

234. (Suppl. tab. 102). *Carex brevirostris* Cederstr. est planta dubiis vexata: a plerisque non species legitima habetur, et quidem M. Blytt (Norg. Fl. 1, p. 188) varietatem C. Gaudinianae Gnthn. eam habet, dum Hartman (Skand. Fl. ed. XI, p. 477) eandem ut formam depauperatum ad C. incurvam Lightf. ducit. Haec autem opinio mihi tamen parum verosimilis videtur, cum rostrum perigynii in his 2 speciebus valde diversum sit.

235. (Suppl. tab. 148). *Braya alpina* Sternb. et Hopp. Specimina depicta, in Finmarkia lecta (Norman) cum planta Alpium Europae australis omnino conveniunt, sed planta nostra haud parum recedit a *B. glabella* (Fl. Dan. tab. 2295 nomine Platypet. purpurascens) (cf. obs. 147) quam ad B. alpinam ut varietatem duxit Trautvetter (Act. hort. Petrop. V, p. 36).

236. (Suppl. tab. 160). Cl. Lindeberg (Hartm. Skand. Fl. ed. XI, p. 56) observat, nomen H. Eupatorium Griseb. esse praeferendum, quia H. corymbosum est nomen variis speciebus applicatum et ab ipso Friesio 2 diversis speciebus additum. Tab. 162 ex Lindeb. l. c. non nisi varietatis titulo ab H. Eupatorio distingui potest.

237. Suppl. tab. 169—172 seriem sistit *Sparganiorum*, in aquis Sueciae et Norvegiae borealis praecipue occurrentium. Cum his comparari debet Fl. Dan. tab. 2792, quae sistit Sp. huperboreum Laest. ad specimen in Groenlandia lectum delineatum.

II. Index systematicus

cum indicatione distributionis geographicae specierum intra fines territorii Florae Danicae.

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroe-enses.	Islandia.	Groen-landia.
	Papilionaceae.							
3038	Pisum arvense	1	1	1	1			
2245	Lathyrus Aphaca.	1 (?)						
527	— pratensis	1	1	1	1	1	1	
338	— maritimus	1	1	1	1	. . . .	1	1
399	— paluster	1	1	1	1			
325	— silvester	1	1	1	1			
785	— — β, platyphyllus	1	1	1	1			
1463	— tuberosus	1 (?)	?	1*				
1170	Orobus niger	1	1	1	1			
781	— tuberosus	1	1	1	1			
1226	— vernus	1	1	1	1			
58	Vicia lathyroides	1	1	1	1			
1340	— angustifolia	1	1	1	1	. . . .	1	
522	— sativa.	1	1	1	1			
699	— sepium	1	1	1	1	. . . .	1	
1464	— dumetorum	1	?	1				
Sppl. 152	— pisiformis	. . . .	. . . .	1	1			
277	— silvatica	1	1	1	1			
98	— Orobus	1	1	. . . .	1			
1395	— cassubica.	1	1	1	1			
804	— Cracca	1	1	1	1	1	1	1
2177	— tenuifolia	1	1	1				
2599	— villosa	1	1	1	1			
639	— hirsuta	1	1	1	1			
95	Ervum tetraspermum	1	1	1	1			

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroenses.	Islandia.	Groenlandia.
Sppl. 89	Coronilla Emerus	....	....	1	1			
730	Ornithopus perpusillus	1	1	1				
2243	Onobrychis sativa	1*	1*	1*				
856	Astragalus frigidus	....	....	1	1			
3037	— penduliflorus	....	....	1				
1108	— glycyphyllus	1	1	1	1			
614	— danicus	1	....	1				
Sppl. 87	— arenarius	....	....	1				
51	— alpinus	....	....	1	1			
1396	— oroboides	....	....	1	1			
Sppl. 88	Oxytropis pilosa	....	....	1				
1041	— campestris var. sordida	....	....	1	1			
Sppl. 20	— lapponica	....	....	1	1			
800	Tetragonolobus maritimus	1	....	1				
1521	Lotus uliginosus	1	1	1	?			
991	— corniculatus	1	1	1	1	1		
1995	— tenuifolius	1	1	1				
211	Medicago minima	1	1	1				
992	— lupulina	1	1	1	1			
233	— falcata	1	1	1	1			
2214	— sativa	1	1	1*	1*			
368	Trigonella ornithopodioides	1	1 (?)					
1705	Melilotus albus	1	1	1	1			
934	— officinalis	1	1	1	1			
2781	— arvensis	1	1	1	1			
1883	— dentatus	1	1	1				
2784	Trifolium filiforme (micranthum)	1	....	....	1			
1707	— minus	1	1	1	1			
796	— procumbens	1	1	1	1			
558	— agrarium	1	1	1	1			
1042	— fragiferum	1	1	1	1			
990	— repens	1	1	1	1	1	1	
1706	— hybridum	1	1	1	1			
1172	— montanum	1	1	1	1			
1171	— striatum	1	1	1				
724	— arvense	1	1	1	1			
989	— pratense	1	1	1	1	1		
2782	— var. parviflora	1						

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroeenses.	Islandia.	Groenlandia.
662 } 1273 }	Trifolium medium	1	1	1	1			
2783	— alpestre	1	1					
988	Anthyllis vulneraria	1	1	1	1	. . . .	1	
2729	— — var. rubriflora	1	. . . .	1	?			
2728	— — — maritima	1	1					
1584	Ononis hircina	1	1	1	1			
783	— procurrens	1	1	1	1			
2780	— campestris	1	1	1	1			
526	Genista tinctoria	1	1	1				
1225	— pilosa	1	1	1				
1826	— germanica	1	1	1				
619	— anglica	1	1	1				
313	Sarothamnus scoparius	1	1	1	1			
608	Ulex europaeus	1	1					
	Drupaceae.							
926	Prunus spinosa	1	1	1	1			
2590	— — var. coaetanea	1	1	. . . .	1 (?)			
2651	— insititia	1	1	1	1			
1647	Cerasus avium	1	1	1	1			
3028	— acida	1	1	1	1*			
205	— Padus	1	1	1	1			
	Rosaceae.							
398	Rosa pimpinellaefolia	1	1	1	1	. . . .	1	
Sppl. 75	— acicularis	. . . .	. . . .	1				
1214	— cinnamomea var. foecundissima .	. . . .	1	1	1			
868	— — v. fluvialis	. . . .	. . . .	. . . .	1			
688	— mutica Fl. D.	. . . .	. . . .	. . . .	1			
870	— rubiginosa	1	1	1	1			
2906	— inodora	1	1	1				
1095	— canina	1	1	1	1	1		
2233	— — var. albiflora	1	. . . .	1				
555	— — v. opaca	1	1	1	1			
2718	— coriifolia (* Langei)	1	. . . .	1	1			
2719	— tomentosa	1	1	1	1			
1215	— — var. alba	1						

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroeenses.	Islandia.	Groenlandia.
1458	Rosa mollissima (?)	1	1	1	1			
2907	— pomifera	1	1	1*				
1	Rubus chamaemorus	1	....	1	1	....	....	1
488 / Sppl. 17	— arcticus	....	....	1	1			
Sppl. 76	— castoreus	....	....	1	1			
134	— saxatilis	1	1	1	1	1	1	1
788	— idaeus	1	1	1	1			
Sppl. 138	— — v. anomala	....	....	1	1			
1992	— suberectus	1	1	1	1			
2589	— plicatus	1	1	1	1			
2539	— thyrsoideus	1	1	1	1			
3025	— — var. incisa	1	1					
3027	— exilis	1						
3026	— sciaphilus	1	1					
2414	— villicaulis	1	1	1	1			
1163	— pyramidalis	1	1					
2721	— vestitus	1	1					
2832	— macrothyrsus	....	1					
3023	— Drejeri	1	1					
2413	— Radula	1	1	1	1			
2904	— silvaticus	1	1					
Sppl. 77	— horridus	....	....	1				
2053	— pallidus	1	1					
3024	— caesio × pallidus	1						
1696	— glandulosus (÷ fol.)	1	1	1				
1697	— Sprengelii (fol. in tab. 1696)	1	1					
2720	— Arrhenii	....	1					
2905	— slesvicensis	....	1					
2538	— Wahlbergii	1	1	1	1			
2833	— Jensenii	1	1					
1213	— caesius	1	1	1	1			
2235	Fragaria vesca	1	1	1	1	....	1	
1389	— collina	1	1	1	1	....	1	
3022	— elatior	1	1	1	1*			
636	Potentilla palustris	1	1	1	1	1	1	1
Sppl. 74	— fruticosa	....	....	1				
Sppl. 139	— rupestris	....	....	1	1			

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroeenses.	Islandia.	Groenlandia.
544	Potentilla anserina	1	1	1	1	1	1	
3021	— — var. grandis	....	....	....	....	....	....	1
1578	— — var. groenlandica	....	....	....	....	....	....	1
3020	— — var. tenella	....	1					
2234	— pulchella	....	....	....	....	....	....	1
2175	— supina	....	1					
171	— norvegica	1	1	1	1			
1579	— Fragariastrum	1	1	1				
1875	— tridentata	....	....	....	....	....	....	1
799	— — var. (?) retusa	....	....	....	....	....	....	1
1035	— nivea	....	....	1	1	....	....	1
1390	— Vahliana	....	....	....	....	....	....	1
2291	— emarginata	....	....	....	....	....	....	1
2965	— Frieseana	....	....	....	....	....	....	1
114	— maculata	....	....	1	1	1 v. ambig.	1	1
2964	— Ranunculus	....	....	....	....	....	....	1
1648	— opaca	1	1	1				
2540	— verna	1	1	1	1			
2592	— arenaria	1	....	1				
2591	— collina	1	....	1				
865	— argentea	1	1	1	1			
1820	— recta	1*	1	....	1*			
589	— Tormentilla	1	1	1	1	1	1	
1217 } 1819 }	— procumbens	1	1	....	1			
1164	— reptans	1	1	1	1			
32	Sibbaldia procumbens	....	....	1	1	1	1	1
31	Dryas octopetala	....	....	1	1	1	1	1
1216	— integrifolia	....	....	....	....	....	....	1
Sppl. 78	Geum hispidum	....	....	1				
672	— urbanum	1	1	1	1			
1874	— intermedium	1	1	1	1			
722	— rivale	1	1	1	1	1	1	
2908	— pallidum	1	....	1	1			
547	Spiraea Ulmaria	1	1	1	1	1	1	

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroeenses.	Islandia.	Groenlandia.
635	Spiraea filipendula	1	1	1	1			
	Sanguisorbeae.							
693	Alchemilla vulgaris	1	1	1	1	1	1	1
2101	— fissa v. faeroensis	....	....	....	....	1	1	
49	— alpina	....	....	1	1	1	1	1
973	— arvensis	1	1	1				
588	Agrimonia Eupatoria	1	1	1	1			
2471	— odorata	1	1	1	1			
97	Sanguisorba officinalis	....	1	1	1	....	1	
1939	Poterium dictyocarpum	1	1	1	1*			
	Pomaceae.							
1034	Sorbus aucuparia	1	1	1	1	....	1	
2717	— americana	....	....	....	....	....	....	1
301	— fennica	....	....	1	1			
2775	— scandica	1	....	1	1			
302	— Aria	1	....	1	1			
798	— torminalis	1						
1101	Pyrus Malus	1	1	1	1			
2118	— communis	1	1	1				
112	Cotoneaster vulgaris	1	....	1	1			
Sppl. 73	— nigra	1	....	1	1			
634	Crataegus Oxyacantha	1	1	1				
1162	— monogyna	1	1	1	1			
	Lythraceae.							
671	Lythrum Salicaria	1	1	1	1			
64	Peplis Portula	1	1	1	1			
	Halorageae.							
87	Hippuris vulgaris	1	1	1	1	....	1	1
1261	— — var. maritima	....	....	1	1	....	1	1
1046	Myriophyllum verticillatum	1	1	1	1			
681	— spicatum	1	1	1	1	....	1	1
2061	— alterniflorum	1	1	1	1	1	1	1
	Ceratophyllaceae.							
510	Ceratophyllum muticum	1	1	1	....	?		
2000	— oxyacanthum	1	1	1	1			

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroenses.	Islandia.	Groenlandia.
	Callitrichaceae.							
2120	Callitriche autumnalis.	1	1	1	1	1		
2972	— hamulata	1	1	1	1	1	. . . .	1
129	— verna.	1	1	1	1	. . . .	. . . .	1
1741	— stagnalis	1	1	1	1	1	1	1
	Onagraceae.							
1745	Isnardia palustris.	. . . .	1					
3007	Trapa natans var. conocarpa.	. . . .	. . . .	1				
1321	Circaea alpina	1	1	1	1			
256	— intermedia.	1	1	1	1			
210	— lutetiana.	1	1	1	1			
446	Oenothera biennis	1*	1	1	1			
1752	— muricata	. . . .	1					
565	Chamaenerium latifolium.	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	1	1
2902	— — var. tenuiflorum	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	1
2901	— — — ambiguum.	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	. . . .	1
289	— angustifolium	1	1	1	1	1	1	1
326	Epilobium hirsutum	1	1	1				
2899	— — β, micranthum.	1	1					
347	— pubescens	1	1	1	1			
2898	— — v. ramosissima	1						
3018	— roseo × pubescens	1						
1815	— roseum.	1	1	1	1	1		
2900	— hirsuto × montanum Hskn. . . .	1	. . . .	1				
922	— montanum.	1	1	1	1	1	1	
1029	— virgatum	1	1	1	1			
2588	— — var.	1						
1267	— adnatum Griseb. var.	1	1	1	?			
2587	— alsinefolium	. . . .	. . . .	1	1	1	1	1
322	— alpinum	. . . .	. . . .	1	1	1	1	1
1387	— lactiflorum var. angustifolia . . .	. . . .	. . . .	. . . .	1	. . . .	1	1
1574	— palustre	1	1	1	1	1	1	1
2897	— dahuricum.	. . . .	. . . .	1	1			
	Lineae.							
851	Linum catharticum	1	1	1	1	1	1	
178	Radiola millegrana.	1	1	1	1			

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Succia.	Norvegia.	Insulae Faeroeenses.	Islandia.	Groenlandia.
	Balsamineae.							
582	Impatiens Noli tangere	1	1	1	1			
	Oxalideae.							
980	Oxalis Acetosella	1	1	1	1	1	....	?
2835	— — var. lilacina	1	1	1	1			
1735	— corniculata	....	1					
873	— stricta	1	1	1				
	Geraniaceae.							
986	Erodium cicutarium	1	1	1	1			
1107	Geranium sanguineum	1	1	1	1			
124	— silvaticum	1	1	1	1	1	1	1
596	— palustre	1	1	1				
987	— phaeum	1	1	1	?			
2240	— pyrenaicum	1	1	1	1			
Sppl. 71	— bohemicum	....	....	1	1			
1222	— columbinum	1	1	1	1			
936	— dissectum	1	1	1	1			
679	— molle	1	1	1	1	1		
1994	— pusillum	1	1	1	1			
218	— lucidum	1	....	1	1			
694	— robertianum	1	1	1	1			
	Euphorbiaceae.							
1100	Euphorbia Peplus	1	1	1	1			
592	— exigua	1	1	1				
2052	— Cyparissias	....	1	1	1			
1270	— Esula	1	1	1	1			
3047	dulcis	1*						
725	— Helioscopia	1	1	1	1			
866	— palustris	....	1	1	1			
100	Mercurialis perennis	1	1	1	1			
1890	— annua	1	1*	1*	1*			
	Empetraceae.							
975	Empetrum nigrum L.	1	1	1	1	1	1	1

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroeenses.	Islandia.	Groenlandia.
	Frangulaceae.							
850	Rhamnus catharticus	1	1	1	1			
278	— Frangula	1	1	1	1			
1089	Evonymus europaeus	1	1	1				
508	Ilex Aquifolium	1	1	....	1			
	Polygalaceae.							
1169	Polygala amarum	1	1	1	1			
576	— vulgare	1	1	1	1	1	1	
3036	— depressum	1	1	1	1	1		
3035	— comosum	....	....	1				
	Acerineae.							
1575	Acer Pseudoplatanus	1	1					
2586	— platanoides	1	1	1	1			
1288	— campestre	1	1	1				
	Tamariscineae.							
234	Myricaria germanica	....	....	1	1			
	Elatineae.							
2239	Elatine Alsinastrum	....	1	....	1			
156	— Hydropiper *a*, gyrosperma	1	1	1	1			
2773	— hexandra	1	1	1	1			
	Hypericineae.							
141	Hypericum humifusum	1	1					
1043	— perforatum	1	1	1	1	1		
2836	— quadrangulum	1	1	1	1	1		
2837	— quadrangulo × tetrapterum	1						
610	— tetrapterum Fr.	1	1	1				
802	— hirsutum	1	1	1	1			
75	— pulchrum	1	1	1	1	1		
173	— montanum	1	1	1	1			
	Tiliaceae.							
553	Tilia parvifolia	1	1	1	1			
2966	— vulgaris	....	....	1				
2722	— grandifolia	1	....	1				

Tabulae Florae Danicae.	Nomina plantarum.	Dania.	Ducatus.	Suecia.	Norvegia.	Insulae Faeroeenses.	Islandia.	Groenlandia.
	Malvaceae.							
530	Althaea officinalis	1	1	1				
Sppl. 151	Lavatera thuringiaca	. . . .	. . . .	1				
1882	Malva Alcea	1	1	1				
905	— moschata	1	1	1	1			
1223	— silvestris	1	1	1	1			
721	— vulgaris	1	1	1	1			
1825	— borealis	1	1	1	1			
	Silenaceae.							
1268	Gypsophila muralis	1	1	1				
Sppl. 135	— fastigiata	. . . .	. . . .	1				
543	Saponaria officinalis	1	1	1	1*			
